

Wiener Stadt-Bibliothek


5874

B

5874

B

OR  
B



ORIGO,  
PROGRESSUS,  
<sup>ET</sup>  
MEMORABILIA  
ECCLESIAÆ  
CÆSAREÆ  
S. P. AUGUSTINI  
VIENNÆ,  
*Cujus*

Per FRIDERICUM III. Aug. Rom.  
Imp., Ottonem II., & Albertum itidem II.

Duces Austriæ glor. mem. condi cœpta

QUARTUS;

Ab introducta Augustinianorum Discal-  
ceatorum Congregatione per FERDINANDUM II.

Augustum

PRIMUS SÆCULARIS ANNUS

Agitur.


Publici juris facit

Conventus Cæsareus Ordinis prædiæli.

Anno, quô

soLe noVô, CAROLVs SEXTVs noVa teMpora sponDet.

VIENNÆ AUSTRIÆ , Typis Joannis Bapt. Schilgen , Stat. Prov. Inf. Austr. Typogr.



# PROOEMIUM.



**N**um Sæcularem Ecclesiæ Cæsareæ,

quæ ab ipsis primordiis M. Aurelio Augu-  
stino Hippone Episcopo, & Religionis ab eo  
dictæ Optimo Parenti ex voto Friderici III.

*Aug. Austriaci consecrata est, condi cœptæ  
Quartum, \* ab introductione Reformatæ Augustiniano-*

*rum Discalceat. Religionis auspiciis gloriofissimæ memo-  
riæ Ferdinandi II. Augusti Primum \* acturi, receptum*

*tam privatim, quād publicè morem sequimur. Exempla  
ejusmodi celebritatum, qua sacra, qua profana, annales*

*exhibit, mysticis etiam ( si Rutilio Benzonio credimus ) \*  
figuris præsignata, cūm Noë lapsis centum annis, quos ar-*

*cæ struendæ impenderat, votiva DEO, & velut sæcula-  
ria sacra, peregit. Ut taceamus, vel annos Jubilæos lege*

*Numinis Israæli præceptos, aut sæcularem ætatem Romanis  
à C.U. celeberrimam, quam in ære, & nummis, posteris*

*transscripsere. Quin & ominus locò Centenarium numerum*

*fuisse liquet, quod plerūmque maxima quæque eō numerō  
designarent: Viros, quibus Respublica curæ esset, totidem*

*legerent, locum agitandis consiliis decretum, Centumvira-  
lem bastam dicerent, ipsa sacrificia, quæ Solemnissima ba-*

*bebantur, ludis sæcularibus actis, centum aris, totidemque  
victimis definirent, inde heccatombe dicta. Quid, quod*

*S. Mater Ecclesia centesimum annum celeberrimum, & Ju-  
bileum habeat, ut emensâ quadam annorum serie DEO*

*Tutori, Conservatori gratias, sæculari Sacrificio, conflu-  
ente in immensum populo, persolvat. Hoc animo sæcularem*

*suum annum Augustiniana Discalceata Religio celebrem ha-  
bet, quod Regi sæculorum immortalis DEO\* Augustissimæ Do-*

*mui Austriacæ, quam sæculorum exemplo, & admirationi  
Providentia servat, pro modulo saltē grati animi testimonia*

*exhiberemus. Originem proinde Basilicæ Cæsareæ ( cui gratiâ  
Augustissimorum deseruimus ) Progressum, res notari dignas,*

*mortuæ lapides heroū nominibus insignes, seriem tandem*

*sumæ nobilitatis lapsis quadringentis annis conditæ, quan-  
tum per vetustatis tenebras, & scriptorum propè omnium ja-  
cturā licet dabimus, ut viventes videant, sciant posteri, quād*


*jure præsens sæcularis, nobis sit Annus divinæ Bonitatis. \**

\* Jacta s.  
sunt Fun-  
damenta  
1330. M.S.  
\* An. Chr.  
1630. 16.  
Maji M.S.

\* Tract. de  
An. S. Jub.

\* I. ad  
Thlm. I.

\* S. Ambt.  
L. de Inst.  
Basil. Virg. c. 15.



Basilica Cæsarea, cum contiguo Sacello Equestris Ordinis S. Georgii de Templois, conditur, consecratur. Qui Fundatores; convellitur de Ottone II. Duce Austriæ opinio Lazii, qui solum eum Fundatorem facit; ope veteris M. S. Qui structuram Sacelli collato ære promoverint. Eorum nomina ex paretusto M. S. Cæsareæ Bibliothecæ Viennensis.



Austriaci Principes, quemadmodum Firmissima Christianæ Reipublicæ fulcra, sic Ecclesiarum Conditores, Tutores, Propagatores Providentia DEI peculiariter instituit; quæ hujus Gentis in universam tam Christi familiam, quam orbem saluberrimis legibus, consiliis, subactum sint merita, is demum nescit, cui natura rationis utum negavit. Adeò palam, quâ latè patet Europa, quin mundus universus Austriacorum Sceptrō Regi asuetus, Austriacæ pietatis Trophæa, excitatas à fundamentis amplissimas Basilicas, consecrata cum aris templo, ædificata utrvis Religiosorum sexui claustra ostendit. Hanc cultū Divini curam cum traduce Majorum Sanguine à Rudolpho Habsburg: hausere, quem eadem viâ, quâ Sacrum Mystam, velatum sub pane DEUM ad ægrum deferentem, comitatus est, eadem, inquam, viâ idem DEUS ad Coronam, & ægrotantis, per civilia dissidia, Imperii salutem manuduxit. Non vacat seriem templorum, Basilicarūmque ab Austriacis Principibus structarum texere, quando ipsæ hæ Ecclesiæ ex mente Cæsarii A-

\* In Decalog. \* In prædicatione Divinorum operum, & Austriacæ pietatis ad omnes populos sunt vocales. Domesticum nobis negotium est; quod Gratitudo, & æterna Magnorum Principum memoria: Friderici III. Augusti, Germanorūmque ejus Fratrum Ducum Austriæ gloriosis. Ottonis, & Alberti exigit, quorum beneficentiâ Augustino Proto-parenti optimo amplissima Basilica, atque à sui exordio Cæsarea A. Æ. Christ. M CCC XXX. strui cœpta est. Rei totius seriem ab ipsa origine pertexamus.

Fri-

Fridericum Augustum Alberti I. Imp. Filium, Rudolphi I. Nepotem, Principum Electorum suffragia An. 1314. Imperio præfecerunt, quem natura, & procerâ corporis staturâ, & vultûs honestate Imperio formâsse visa est; Principem, quem non tam ab extraneo cultu, & oris decore, quâm, quod pulchro è corpore, pulchrior virtus emineret cognomentô Pulchrum dixeré. Multis jactatum adversis, vel quod elegans illud in eo ostendi vellet spectaculum; Viri boni cum mala sorte compositi, vel quod fortè fortuna sibi æmulum exquireret, nunquam animus sibi constans deseruit, quem ad gloriam pericula, adversa fors ad viatorias deduxeré. Velut Olympi fastigium, ulla aëris intemperie negant affici, sic Fridericus civilibus dissidiis, Procerum odiis, subditorum perduellione jactatus, ne hilum tranquillitatis amisit, interque ipsas furentes procellas alcedonia egit. Bellis compluribus implicitus pacis studia velut in portu tranquillissimo tractavit, ipse sub Galea miles, eadem mente, quâ bellicos designârat ordines, Templorum, atque Altarium architectum egit. Maurbancense cœnobium D. Brunonis asseclis An. Chr. 1313. à fundamentis erexit, dotavit, & mortalitatis suæ memor inibi conditorum sibi struxit; cùm An. à rep. Sal. M CCC XXVII. voti reus, quod Augustino 1326. \* nuncupârat, aream designat, quô loco Basiliacam ejusdem honoribus excitaret. Cœpta structura An. M CCC XXX. Annô, ab hinc, *Quadragesimo*. Lapsum esse Lazio inde constat; \* quod & Ottone II. Fundatorem solum tacitò Friderico faciat, tum, quod hic loci olim Carthusianorum monasterium fuisse statuat: priori lapsu ansam præbuisse videtur mors Friderici, quæ Eundem non nisi cœptam Ecclesiam videre sivit, per Ottонem dein & Albertum novennali labore, consummandam. Sanè; si litteras donationis inspiciamus \* tum Fridericum, tum \* Fugg. in Spec. hon. Ottонem, & Albertum Fundatores fuisse, manifestum evadet. Partem illarum litterarum, quæ ad rem facit, adtexo: *Ipsi nos* (de se Fridericus) *gratiâ Spiritus Sancti inflammati unâ cum illustribus Fratribus Alberto, & Ottone Ducibus Austriae & Styriae Fratribus nostris & Principibus Charissimis donatione irrevocabili inter vivos domum in Vienna, quæ olim perinebat Monasterio Mauerbachensi sitam in alta strata - - - ubi ad cultum divini ministerii augmentandum, novum eisdem Augustinianis Eremitis intellige, monasterium cum Choro, Ecclesia, Domo, & aliis Officiniis eis necessariis fruendum, & erigendum eis permisimus per ipsos tenendam, inhabitandum &c. In cuius rei testimonium, & firmitatem Sigillum nostrum Regale, una cum Sigillis predicatorum Fratrum nostrorum duoximus præsentibus appendenda. Et nos Albertus, & Otto D. G. Duces Austriae, & Styriae prænotati recognoscimus omnia, & singula præmissa, per predictum Dominum, & Fratrem nostrum Fridericum Romanorum Regem, & per Nos consensu unanimi rite, & concorditer esse facta. In cuius evidentiam etiam nostra Sigilla duximus appendenda. Datum Wienn idibus Martii, Anno Domini millesimo trecentesimo vicecimo septimo. Liqueat A 2 hinc*

\* in Hist. Vienn.

\* Archiv. Conv.

hinc, non Monasterium Carthusianorum, sed domum h̄ic fuisse  
struendæ Ecclesiæ per Principes pretiō redemptam.

Et jam feliciter jacta fundamenta erant, cūm eodem annō Fridericum communi Austriaeorum luctu inimica mors Anno 1330. terræ infudit, nihilo tamen segniūs cœptum opus actum est con-nitente Ottone, & Alberto Fratribus, quorum curā, & adnisiu integra Ecclesia novenniō perfecta est vid. 1339. ab hinc exactō decen-niō per Ortolfum Apamææ, Archiepiscopum, Gottfridi Episcopi Passaviensis, cuius tum Diœcesi Vienna subdebatur, vices geren-tēm DEO O. M. & honoribus D. P. Augustini consecrata. Vide Lector Bullam consecrationis ex M. S. Bibliothecæ Cæsareæ transum-ptam: *Nos Ortolfus D. G. S. Apamensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Ad univer-sorum cupimus notitiam pervenire, quod Anno D. millesimo trecentesimo quadragesimo nono die prima mensis Novembris, quæ est Festivitas SS. OO. consecraverimus, & dedicaverimus solemniter Ecclesiam Religiosorum vi-rorum Prioris, & Fratrum Ord. Eremit. S. Augustini in Wienn Diœcesis Pa-taviensis & quinque Altaria in ipsa ( tot siquidem, & eō situ numera-bat recens extructa Ecclesia donec Anno 1630. & seqq. interior templi facies mutari, Altaribus insuper, & reliquo apparatu auge-ri cœpit ) quæ consequenter in se habent in ordine, & capite ipsius Ecclesiæ, ita; quod Ecclesiam, & medium Altare inter duo Hostia, quibus ad Chorūm erit introitus, consecraverimus in honorem ejusdem glorioſi Præfulis, & Do-ctoris egregii S. Augustini Patroni Ordinis, & Fratrum eorundem. Altare verò eidem Altari S. Augustini versùs sinistram propinquum in honorem San-ctorum omnium, & Altare juxta murum Ecclesiæ versùs plateam in hono-rem S. Virginis, & glorioſa Christi Martyris Catharinæ. Altare insuper, quod est juxta murum Ecclesiæ versùs ambitum fratrum, in honorem SS. Petri, & Pauli App. & Altare eidem propinquum, quod est juxta Altare S. Augustini in honorem S. Joannis Baptiste, & Joannis Ap. & Evang. Quas consecratio-nes fecimus de licentia plena, & expressa Reverendissimorum Dominorum D. vid. Quidonis tit. Sandæ - - Presbyteri Cardinalis D. nostri Reve-rendissimi, ac D. Gottfridi Pataviensis Ecclesiæ Episcopi, cuius tunc in Ponti-ficalibus vices gerebamus &c. Datum, & Actum Anno Christi, Mense, die quibus supra.*

Quemadmodum Annus cœptæ Ecclesiæ Friderico Imp. sic an-nus, quo consummata est, Ottoni Duci Austriae fatalis fuit. Siqui-dem is An. 1339. fato functus est relictis hæredibus Friderico & Leupoldo, seu Leopoldo, quos tamen præcoce morte raptos Au-stria ploravit, hic námque 10. Aug. 1344. alter 4. Decembr. Anni ejusdem decessit, succedente in ditiones Alberto II. Duce Austriae, & Carinthiæ Patruo eorum, qui ipse annorum meritorūmque sa-tur, posteaquam de sex Fratribus Alberti I. Imp. Filiis unus, super-stite prole stemma Austriae propagasset septuagenario major die 20. Julij 1358. æterno subditorum desiderio, consummatissimus per omnia Princeps mortuus est. Bonō omine duraturæ Au-striæ in hanc Ecclesiam protectionis & stabilitatis perpetuæ præ-lusere

Iusere Fridericus , & Otto , quorum ille binos pedes lapideos basi imobiliter insistentes, cum hac Epigraphe : *Adhuc Stat.* hic gryphem ad tutelam unguibus , rostrō , atque alis armatum hac cum inscriptione : *Unguis & rostro , ac alis armatus Symboli loco habuere.* Dignissimi sane Principes, quorum memoria in benedictione sit, quorūque recordatio æternū animis nostris insideat.

Quod Ecclesiam , illiusque structuram attinet, pro illo quidem ævo magnificentissima assurrexit. Navis Ecclesiæ pedes Vienenses, 132. longa, 90. lata, 61. alta, tota de seculo lapide , ostocolumnis, iisque prægrandibus innititur, Sanctuarii spatum longitudine 138. latitudine 54. altitudine 80. pedes complectitur, cuius dextrū latus, ut & bina inferioris Ecclesiæ, Altaribus, & nobilissimarum familiarum conditoriis instructa sunt, quoru seriem inferius dabimus. Non erat hæc templi facies tribus anterioribus sæculis, quinq; enim solū de rudi ligno Altaria numerabantur, donec Augustissimorum Principum munificentia, Principibus, Comitibusque in idem conniventibus, altaribus, cryptis, turri, campanis, quin & Sacellô Laurentianô accuratissima Nazarenæ illius domus imitatione per Eleonoram Mant. Augustam Ferdinandi II. conjugem lapsō sæculō augeri cœpit. Singula, quæ ultimō hoc sæculō acta sunt, quæque digna dici videbuntur, ordine dabimus, de prioribus enim tribus quid certum in lucem dare, tempus edax prohibet, absumptis vetustate, bellis, grassante per has oras hærese, libris propè omnibus, si pauca fragmenta excipias, quæ provida antecessorum cura ex ipsis propè oblivionis fauibus eripuit ; inde in his tenebris secum figere gressum non licuit , & abstinentum erat à pluribus corradendis, ne incerta pro certis Lectori venditaremus.

Neque Basilicæ hujus tam magnificæ structurâ Augustæ Fratrum Pietati factum est sati, Otto certe, eodem tempore unus de Triumviris Fundatoribus aliud minus templum majori contiguum, nec, nisi angiportu , sejunctum Ordini militari Equitum S. Georgii ( Societas in M.S. S. Georgii de Templois dicitur ) designavit, quod collatis in unum sumptibus ejus ordinis nobilium celeriter perfectum, vel inde liquet, quod Anno 1341. ostenso citius , ac major Ecclesia, statis ritibus sit consecrata. Altus hic dolor scribentis animo suboritur, & quam brevibus spatiis humanarum rerum memoria definiatur, palmare capitur argumentum, equidem de Societate hac, aut militia tot Nobilium, quin imò tot Serenissimorum Principum, non alia suppetit notitia, ac illa : fuisse. In libris, quos pervolvimus, apud doctos, quos consuluimus , altum ubique silentium. Debemus & hanc, quantula, quantula illa est, notitiam bonæ fortunæ , quæ codicem unicum , & hunc ultimis paginis truncum, Augustæ Cæsareæ Bibliothecæ transcripsit. Dabimus tamen, id quod est, Genealogiæ studentium gratiâ, ut nomina eorum Principum , & Nobilium , qui collatō ære hanc Sacram ædem, honori D. Georgii M. struxere, ex eodem M.S. publici

blici juris faciamus. Sacellum hoc, cùm Ordo Militum causâ nobis incognitâ expirâset, jubente Ferdinando II. Imp. Aug. Confraternitati mortuorum dictæ, ab eoque institutæ cessit. Nos Bullam Consecrationis, cum eorum serie Nobilium, qui collata ope structuram perfecerunt, unicas has vetustatis reliquias ex M. S. superius dicto producamus : Nos Frater Petrus DEI Gratiâ Episcopus Marcopolensis Ecclesie, gerentes vices in Pontificalibus Venerabilis in Christo Patris, & Domini nostri D. Alberti Pataviensis Episcopi, tenore præsentium profitemur, quod Anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo in die Beatorum App. Philippi, & Jacobi Capellam militum de novo construam in monasterio Fratrum Eremit. S. Augustini Viennæ, & duo altaria in eadem Capella inclusa, vid: Altare lateris dexteris una cum Capella in honorem S. Georgii, nec non Altare lateris sinistri in honorem SS. Corporis Christi consecravimus &c. Harum testimonio litterarum Sigilli nostri appressione munitarum. Datae Anno, die, & loco prænotatis.

Catalogus militum S. Georgii seu Societatis Templois, sic enim in veteribus chartis scriptum, verbotenus exhibetur, quippe antiquitatis reverentia, religioni duximus vel litteram immutare. Fundatores Capellæ S. Georgii seu Societatis Templois Serenissimorum Principum Ducum Austriae, nec non Comitum, Baronum diversarum terrarum exciterunt, & existunt subscripti ; in primis : Illustriss. Princeps Dux Otto. Illustr. Dux Fridericus, Illustr. Dux Leopoldus Filii Ducis (intellige Ottonis) Illustr. D. Ulricus Comes de Phanberg, Illustr. D. Joannes Comes de Phanberg Filius ejus. Illustriss. Dom. Burchardus Comes de Maidberg, Illustr. Domin. Conratus Comes de Maidberg. Illustr. Domin. Fridericus Comes de Ortenburg. Illustr. D. Fridericus Comes de Zilegia. Illustr. D. Joannes Comes de Pernstain. Illustr. D. Joannes Comes de Nurnberg. Illustr. D. Albertus Comes de Nurnberg. Illustr. D. Fridericus Comes de Nurnberg. Illustr. D. Joannes de Chappeller. Ill. D. Ulricus, Ill. D. Eberhardus Filii ejusdem. Ill. D. Joannes junior de Chappeller. Illustr. D. Ulricus de Walse de Styria. Illustr. D. Eberhardus de Walse Filius ejusdem de Styria, Ill. D. Fridericus de Walse. Illustr. D. Joannes de Walse, Frater ejusdem de Styria. Illustr. D. Henricus de Walse. Illustr. D. Fridericus de Walse Frater ejus. Illustr. D. Rempertus de Walse de Andso. Illustr. D. Fridericus Walse, de Andso Frater ejus. Ill. D. Eberhardus de Walse de Drosendorff, Illustr. D. Fridericus de Walse, de Drosendorff Frater ejus. Illustr. D. Albertus de Puchaim. Ill. D. Henricus de Neyssave. Ill. D. Otto de Neyssau. Ill. D. Henricus de Neyssau. Ill. D. Burchardus de Neyssau. Ill. D. Albertus de Rauchenstain. Ill. D. Fridericus de Stubenberg. Ill. D. Henricus de Muntpreiser. Illustr. D. Leutoldus de Potendorff, Ill. D. Rudolphus de Stadeke. Ill. D. Albertus Stugso. Ill. D. Martinus Stugso. Illustr. D. Petrus de Eberstorff. Ill. D. Bercholdus de Losenstain. Ill. D. Joannes Durso. Illustr. D. Pilgrinus Strelbii. Ill. D. Joannes de Pruner. Ill. D. Hertwigius, de Weiffeneck. Ill. D. Otto de Seltenhoner. Illustr. D. Burchardus Chneusser. Illustr. D. Ulricus de Lasperg. Illustr. D. Hermannus de Sturnberg expedivit. Ill. D. Dijetius Pincerna de Dobrach, Illustr. D. Ulricus de Graben. Ill. D. Alber-

Albertus Pincerna de Riet. Illustr. D. Chraſto Haſer. Illustr. D. Eberhardus de Wülfendorff. Illustr. D. Nicolaus Schelko. Illustr. D. Eberhardus de Tachsberg. Illustr. D. Conradus de Perneck. Illustr. D. Burchardus de Winden. Illustr. D. Chadoltus de Charzau. Illustr. D. Chatoldus de Charzau, Frater ejus. Illustr. D. Conradus de Chreygar. Illustr. D. Bernardus Druchfazz. Illustr. D. Joannes de Druchfazz. Item Illustr. Philippus Albertus, & Leutoldus Duces Austriae, Styriae, & Carinthiae, (erant hi, Filii Alberti II. Ducis Austr. Fundatoris) qui intraverunt Societatem Capellæ Dominorum Templois, An. D. MCCC LXVIII. Illustr. D. Henricus Comes de Pernstain, Rex constitutus Anno D. quô suprà. Illustr. D. - - - Dux Saxoniae. Illustr. D. Hartwigius de Pertau. Illustr. D. Henricus de Meyperg. Illustr. D. Albertus Streittbesär. Illustr. D. Henricus de Pottendorff. Illustr. D. Henricus de Walse. Item Annò D. MCCC LXIX. intraverunt Societatem: D. Fridericus Glannzer, D. Ulricus Walchenstainer. D. Weichardus Polhamer. Iſti sunt Domini defuncti, qui solverunt pro Capella S. Georgii Templois. Illustr. D. Fridericus Comes de Cilegia expedivit. Illustr. D. Ulricus Lazpergarius expedivit. Illustr. D. Burchardus Chnauſtarius expedivit. Illustr. D. Fridericus de Ehrenspeth expedivit. Illustr. D. Fridericus de Sessato expedivit. Illustr. D. Henricus de Buchaim expedit. Ill. D. Henricus de Cbranichberg, expedivit. Ill. D. Ulricus de Chappellar, solvit tantum  $\frac{13}{10}$  libr. Iſti sunt Domini Capellæ S. Georgii Templois, qui non solverunt. Ill. D. Ulricus Comes, & illustr. D. Joannes Comes Filius de Phanberg, Illustr. D. Burchardus, & Conradus Comites de Maidenburg, Illustr. D. Fridericus Comes de Ortenburg, Illustr. D. Joannes, & Ill. D. Albertus Burgraffii de Nurnberg, Illustr. D. Joannes, & Joannes junior de Chappellar, Illustr. D. Henricus de Balse, & Illustr. D. Fridericus de Walse de Styria. Illustr. D. Eberhardus de Balse, & Illustr. D. Henricus de Balse, de Drosendorff, Illustr. D. Henricus, & Illustr. D. Otto de Neyffau, Illustr. D. Albertus de Rauchenſtain, Illustr. D. Henricus de Muntpreifer, Illustr. D. Leutoldus de Pottendorff, Illustr. D. Pilgrinus Stelbii, Illustr. D. Joannes de Prunner, Illustr. D. Hertwigius de Weisseneck, Illustr. D. Dytius Pincerna de Riet, Illustr. D. Eberhardus de Wulzendorff, Illustr. D. Nicolaus Schelko. Illustr. D. Burchardus de Winden, Illustr. D. Hermanus de Tanberg, Illustr. D. Joannes de Buchaim, Illustr. D. Rudolphus Stadeck, Illustr. D. Fridericus de Stubenberg, Illustr. D. Wolfgangus de Stubenberg, Illustr. D. Hertwigius de Petau, Illustr. D. Petrus de Eberstorff, Illustr. D. Bertholdus de Losenſtain. Illustr. D. Joannes Curſo. Illustr. D. Cholo de Seldenhoven - -

At hic manum de tabula, quandoquidem veteri illi manuscripto vetustas dentem infixit, & plura, quæ fuere, folia irreparabili prorsus damno abſumpſit. Supereſt nunc, ut Augustis Fundatoribus, Conditoribus, Conservatoribus, & grandi Herroum Fratrum Triadi, gratitudinis causa, & æternæ tantorum nominum memoriae ſequentia inscribamus.

## Memoriæ

Friderici III. Imperatoris, Ottonis, &  
Alberti Austricæ Ducum, Germanorum ex Al-  
berto I. Fratrum, Rudolfi I. Victoriosi, Aug. Nepo-  
tum, Basilicæ Cæsareæ S. Augustini Gloriosiss.  
Fundatorum.

Posteri!

Perfectam Optimorum Principum effigiem  
Trinam, & perfectam in Fratrum Triade  
aspicite!

Eos *Albertus I. Austr. Rom. Imp. Rudolfi F.*  
Orbo propè bonorum orbi, & per civilia dissidia tantum  
non discisso

Ex *Elisabetha Carinth. Duci F.* dedit,  
Magnæ Sobolis, Magnus Genitor,  
Maximus,

Nisi liberorum hæc Trias, virtute magnitudinem æquâisset;  
Adeò similes semper in hac gente  
Succedunt similibus,  
Nullus præcellit, nullus præcellitur  
Omnes Summi sunt.

Priorem de Fratribus *Fridericum* mundus exceptit,  
Ejus olim humeris excipiendus,

Primam, quam concessit auram, ut spiraret,  
Ab eodem olim Principe recepit, quâ respiraret;  
Præfagum illi à pace nomen

Nunquam omine secutô,  
Pacis amicissimus, at semper expers;  
Pulchri agnomen liberale, vultûs honestas conciliârunt;

Sed nec hic pulchritudo stetit;  
Pulchra solum domus spectabatur, pulchrioris inquilinæ,  
Dignum animo corpus, dignus corpore animus.

Nec tenerè suam hanc habuit pulchritudinem,  
Sudore, hostili Sanguine, Martiō pulvere; pigmentorum,  
Purpurissæ, cretæque locò usus est;  
Heroëm Patrem, Heros Filius, fulminantem Aquilam  
Generosa Soboles à puero secutus

Fer-

Ferrum pro crepundiis habuit,  
 Donec  
 Jam major , suis auspiciis , bella , & victorias auspicaretur ;  
 Sæpè Victor , quandōque vicitus  
 Non animō , non æquitate causæ , sed quòd non æquo  
     exercitu congrederetur ,  
 Viciturus semper , si pares sibi commilitones habuisset ,  
     Semel ,  
 Cùm bono Eventui , per sociorum ignaviam , nō posset  
     Suæ fortitudini  
 L. hostibus , ceu totidein hostiis manu propriâ litavit .  
     Utráque fortunâ clarus ,  
     Seu levis illuderet , seu gravis incumberet ,  
 Impavidus , cùm nutarent omnia , non trepidus cùm omnia  
     trepidarent ,  
     Tulit & Fecit \*

\* Hor. de  
arte Poët.

Cùm faciendum gloriosi nihil jam superesset ,  
 Spectaculo fuit Ejus Virtus , fortiter ferentis ,  
 Cùm maxima quæque ageret , quantus esset ignarus  
 Ex eorum , quæ tulit , pondere , suam sensit magnitudinem .  
     Imperium , simul & æmulum naētus , \*  
 Ut palam sit , quām semper Magnis æmulatio succedat .  
     Dignissimus Soliō Princeps , felicissimus ,  
     Si solus .

\* Ludovic.  
Bavar.

Altitudinem suam subditorum commodis mensus est ,  
     Purpuram monitricem habuit ;  
     Ne quid unquam rubore dignum admitteret ,  
     Gnomam secutus suam :  
 Quam , utinam ! sequantur , qui regunt , qui reguntur ;  
     Quod pudet palam , clam ne facito .  
     Pietatem præ primis , quia Austriacus  
     Cynosuram habuit ,  
 Gnarus ; teres Sceptrum facile elabi , nì hoc firmetur ,  
     Et , fatuos esse coronæ splendores ,  
     Qui virtute non radiant .  
 Basilicas complures basilicè excitavit , dotavit , ditavit ,  
     Has inter

Augustum Templum, Augustino Augustus ex voto  
 Struendum MCCC XXX. iactis  
     Fundamentis designavit,  
 Et confecturus erat, nisi properō fatō Ann. eod. con-  
     fectus esset;  
     Mori inter bella suetus, necem sinè horroris sensa  
         Tranquillissimus exceptit,  
     Id asscutus, quod vivens optaverat:  
\* Fugg. in Spec. hon. Summum hominis bonum, bonum ex hac vita exitum \*  
     Filiae ex Elisabetha Jacobi Reg. Arrag. F. Annam,  
         Et Elisabetham  
     Filiūmque sibi cognominem suscepit;  
 Illas Nuptialibus M. M. Principum tædis fatum serva-  
     vit, hunc mortuali pyræ intulit,  
         terris tantummodo ostensum,  
     Propaginis loco Exempla bene factorum  
 Suorum solatio Ottонem, & Albertum Germanos;  
         hæredes reliquit;  
     Verè Germanos  
 Seu Majores, seu Patriam, seu Germanam virtutem spectes.  
         Quanti hi Principes!  
 Ottонem mirabilem dixeré, Albertum sapientem, simul  
         & contractum \*  
     An idē ut præsentiret orbis,  
 Grandium gestorum mirabilia, & suffecturam mundo  
         regendo Sapientiam  
     In Austriadum Domum esse contracta.  
     Ostendere id Otto & Albertus,  
 Ille subditos Religione, legibus, bonis florentes Anno  
         M CCC XXXIX.  
     Moriturus reliquit; Hic servavit,  
 Manibus, pedibusque captus, laxiore tanto, & capa-  
         ciore mente;  
     Amori civibus, hosti terrori fuit,  
 Vel illud Imperatorium effatum comprobans:  
         Caput imperare non pedes.  
 Hic ille est, alter Austriacæ Domus Conditor, qui de  
         sex Fratribus unus,

Sobo-

Sobolem reliquit *Austriae*, mundo Principes.  
 Vitæ satur septuagenario major M CCC LVIII, extin-  
 guitar,  
 Erravi : avellitur  
 Non extinguuntur, qui desiderantur extincti.  
 Immortales Principes,  
 Qui memoriam sui non ferrô, aut chalybe, quia toti in  
 subsidiorum vota cerei,  
 Sed rerum gestarum gloria, & affini cælo stemmate  
 Austriacâ propagine, quæ adhuc stat \* & stabit  
 In orbe ultima \* signavere.  
 Stat adhuc P. P. Optimus !  
 à vobis structa *Augustiniana Ecclesia*, Pietatis, & memo-  
 riæ vestræ trophæum  
 Austriacô fulta præsidio, vallata gratiis, protecta patrociniis,  
 Et stabit ultra  
 Æternæ Domui contigua, & acclinis.  
 Cordi certè est Austriadum Principibus, & fuit,  
 Quorum à funere *Corda*  
 Non alibi, ac hic reperias.

\* Symbol.  
 Friderici  
 Pulchri.  
 \* Symbol.  
 Frid. IV.

### Ordo S. Augustini, arctius ejus Ordinis institutum, ejusdem Progressus, Primi Re- formationis Patres.

**R**IUSQUAM de introductione Augustinianæ Discalceatæ Religionis, in hanc, de qua agimus, Cæsaream Basilicam quid dicamus, operæ pretium duximus, de ipso S. Augustini Ordine, ejusdémque reformatione, paucula, & per compendium præfari. Quo authore cœperit, nomen ipsum Augustinianum prodit, quod cum vivendi canonibus ab Augustino præscriptis coævum, & tradux habet. Summum hunc Virum Annus Christi CCCLIV. orbi dedit, idem prorsùs, quō Britannus ille coluber, & inimicus gratiæ Pelagius, quam infectus erat, lucem aspexit. Patriam Tagasten Africæ municipium, Parentes Patricium, & Monicam habuit, hæc Filio ad omnem virtutem exemplar, lachrymis, cum verbis non posset cor in hæreses diversas lapsi expugnavit. Manetis primū dogmata secu-

tus, pejore errore priorem correcturus Academicis adhæsit, ge-

\*Lib. Confess. nio, & juventæ facilis indulxit, quæ quidem ipse acerbis lacrymis, in Confess. libb. deplorat. \* Carthago, Roma, Mediolanum Rhetoricæ præcepta tradentem audiēre, cùm postremō locō Ambrosii Sermonibus emollitus, lavacrō salutis abluitur annos natus 32.

tertiō inchoatō; Simul ac baptizatus ab eodem Monachus induit, familiaribus, filioque Adeodato Augustini exemplum sequen-

\*S. August. in Medit. Cap. 39. tibus. Religiosis solita vovisse vota, ipso authore constat \* *Tulisti me, de Domo Patris mei carnalis, & de Tabernaculis peccatorum, & inspirasti mihi, ut sequerer te, cum generatione querentium faciem Tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter Lilia castitatis, & tecum discubentium in canaculo altissimæ paupertatis.* Episcopus, ab obitu Valerii, Hippone reluctans præest, Monachi institutum per omnem vitam servans, post libros propè innumeros in omni Disciplinarum genere doctissimos, & erecta de prostratis manete, Pelagio, Donato aliisque Hæresiarchis trophæa, cùm urbs, cui pastor præerat, hostili obsidione eingeretur anno ætat: 76. Domini 430. Cælestino I. Pontifice onustam meritis animam in sinum Creatoris depositus. Huic Viro, quem Catholica Ecclesia solem Theologorum, & inexpugnabile adversus hæreticorum machinationes vallum habuit, & habet, Augustiniana Religio, ceu Fundatori sua debet incunabula, Regulam, Viros doctissimos, simul, & Sanctissimos, quos ipse vivens in Societatem suam adlegerat; quos inde Africa, Italia, Gallia, & reliquæ orbis Christiani partes ad pastorales infulas evocârunt. Cum quibus Augustinianus ordo diversis Provinciis illatus, tandem sub Alexandro IV. Summo Pontifice in unum corpus anno Pontif. ejus primo coaluit. Honorificum planè hujus Pontificis testimonium proferimus, quô simul eorum ora obdurentur, qui hoc tempore primū, ordinem cœpisse affirmant. \*

Bulla Ale- xandr. IV. Pontif. M. datæ Viter- bii, id. Apr. ann. Pont. primo. \* *Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini à suis primordiis gratia cooperante Divina, de Virtute in Virtutem successivè profecit, velut lignum fructiferum in Ecclesiæ agro plantatum flores proferens copiosos honestatis, & producens uberioris fructum vitae præcelsæ regularis observantiae, Sanctimoniam, & præclaris virtutum operibus specialiter extitit insignitum.* Aliam ergo, & longè vetustiorem originem, Augustino videlicet coævam hic Pontifex agnoscit.

Nunc ad Excalceatorum initia conversi, institutum Reformatorum exhibemus, olim quidem Sanctissimo Fundatori coæ-

\*Eremus Augustin: Mauriti à Matre Dei Aug Exca- liceat. ubi Thom. à JESU. taneum, à pluribus iisque celeberrimis ejus asseculis cultum \* per Thomam verò à JESU Lusitanum An. D. MDLXXIV. resuscitatum: Qui, quantisque Vir hic fuerit, Illustr. & Reverend. Alexius de Menezes Augustinianus, Indianorum Orientalium Pro-Rex, & Africani Episcopus Goanus \* Scripto reliquit, ex quo pauca delibabimus: Thomas à JESU nobilissima Lusitanæ, & vetustissima Equestri Familiâ Patre Ferdinando Alvarez, de Andrade natus, liberalibus à puero disciplinis educatus, capere ad miraculum pronus,

nus, animō in virtutem semper cereus, præsentissimo vitæ periculo, aquis mergendus, ope D. Josephi Patriarchæ eruptus, beneficii tanti memor Augustiniano Ordini per Ludovicum de Montoya, annos 15. natus adlegitur, inde vota professus Theologicis, Philosophicisque cathedris præficitur, successu temporis Spiritualis Tyrocinii Magister Novitiis datur, Vir, in quo Doctrina cum Sanctitate, virtus cum Sapientia nobilissima æmulatione contendere. Inde arctioris vitæ desiderio illectus, & renovandi veteris rigoris in Ordine cupidus reformationem meditatur, consiliū sui particeps Ludovico de Montoya, tum Ordinis Vicario Generali, non laudante solum, sed & approbante, & in id ipsum connidente; In quam pariter Sententiam ab Eminentissimo Cardinale Infante Henrico, postea Lusitaniae Rege itum est, designatō monasteriō ubi destinatum opus perficeretur. Accurrēre in Coloniam novæ Congregationis complures ex mitiore D. Augustini instituto, hos inter Ludovicus Legionensis, Vir Latinas, Græcas, Hebræasque litteras apprimè doctus, tum in celeberrima Salamancæ Universitate (ut ajunt) Cathedraticus.

Et jam omnia felicem progressum spectabant, cùm, nescio quō fatō, tot procellis, & machinis novella plantatio quatitur, ut, cedere in tempus opportunum rata, destinata censuerit diffrena. Thomas certè medios inter adversitatum æstus, sui tenax propositi, immotus perstigit. Insolita Viri Sanctitas Sebastiani Lusitaniae Regis animum movit, quare Africam expugnaturus, & fatali illa, plusquam Cannensi, expeditione mare trajecturus Comitem itinerary, sibi à Sacris consiliis futurum Thomam deposit. Aream hīc ejus Virtus nacta, mirum est, quanta alacritate, & charitate, pauperes, ægros, vulneratosque complectetur, quorum sibi curam demandari, infimis precibus contentit. Ut conflictus cum Barbaris, Christianæ rei tam infelicis, signa data sunt, crucis effigiem manu gestare, priores acies præcedere, verbis ad fortiter dimicandum incendere, morientes absoluzione donare, donec lanceā à Mauro secundū tempora percussus, post exercitum cum Rege internecione deletum, Mequinezium, civitas Africæ est, deductus, inque ergastulum compactus est. Hic captivis miseram servitutem servientibus, omnibus orci apparatibus ad defectionem sollicitatis patientiæ, ac constantiæ author fuit, ipse vivum patientiæ exemplum factus. Frequenter, agentibus amicis, quos in Lusitania habuit nobilissimos, adnitente Hispp. Principe Philippo II. præstito lytrō in libertatem vocatus, spontanei exilii, ac carceris se damnavit, gestiens inter captivos Christianos vitam agere, eorum salutem curare, Sacra menta conferre, in quorum etiam solatium aureum illum de ærumnis Salvatoris librum, omnibus jam linguis vulgatum, ad modicissimam carceris lucem conscripsit. Matura cœlo tanta virtus erat, quare, cùm integrâ quadragesimâ in singulos dies bina vice

ad captivos diceret , ea contentione exhaustus , rerum penuriâ , pædore carceris , compassionis teneritudine , spontanea corporis afflictione eò venit ; ut debile corpus , grandem animam sequi impar , lecto affixum sit , ubi Sacramentis munitus , horâ , & die obitûs prænuntiatis , confirmatis in fide Catholicis , increpitis iis , qui nutabant , & spe lytri , quod in certum diem adfuturum prædixit , erectis , nomine Salvatoris ingeminatô felicem animam superistranscripsit , Anno 1582. Feria 2. Pasch. ætatis 53. Hic ille est lapis alter ab Augustino angularis , cui Augustiniana Discalceata Religio innititur . Hic , priusquam progrediamur , filiorum Augustini nomen , & legitimus à tanto Fundatore descensus , nobis Discalceatis vindicanda sunt , quæ perperam multi abreptum ivere , habitum , nudosque pedes , ab Augustini instituto alienos , cau- sati . Si historias , si veteres picturas , si traditionem inspiciamus , rem nullô negotiô confecimus , at quoniam Eustachius à S. U-

\* In Quodl. baldo \* & Mauritius à Matre DEI , \* ille Italus , hic Gallus hanc sibi pugnam depugnandam sumpserunt , idque strenuè convicere , Reg: \* In Erem. ad eos Lectorem remittimus . Unum argumenti loco sit : Insti- August. tutum nostrum , ex illo mitiore D. Augustini suam originem tra- xisse , Viros Reformationis primores , ac Authores ejusdem Ordini- nis fuisse , imò non consentiente tantùm , sed & jubente Congre- gatione Universæ Augustinianæ Eremitanæ Familiæ , Reformatio- nem cœpisse . Certè , cùm Clemens VIII. Pont. Max. veteri Disci- plinæ universos Ordines restitutos cuperet , Andreæ Fivizano Au- gustiniano tum Sacrarii Apostolici Præfecto mentem hanc suam a- peruit ; quô ad Ordinem totum referente , sequens à Definitorio decretum emanavit , in tabulis Archivi Romani reperiendum : Quoniam &c. &c. Decreverunt P.P. Definitorii , ut reformetur primò hoc nostrum cœnobium Romanum , deinde ad exemplar illius viciniores Conven- tus , & omnia nostræ Religionis cœnobia , & Monasteria &c. Dat. An. 1592. die 16. Maii. Quis jam veros Filios , quis legitimam Con- gregationem Augustinianam nostram neget , ab Augustinianis cœ- ptam , ab Augustiniano Ordine laudatam , rati habitam , Augu- stinianæ Regulæ tenacem , à Pontiff. Rom. Clemente VIII. , Paulo V. aliisque confirmatam , Privilegiis auctam , atque dissertis verbis : Ordinem Fratrum Discalceatorum seu Reformatorum S. Augusti-

\* In Bulla ni \* nuncupatam . Non est Ordinis discissio , non est , quod ajunt , Clem. VIII. 1599. & dismembratio , cùm unitas Augustiniani Spiritus , Charitatis , re- pass. alias. gulæque perdurat . Alius longè sensus Reverendissimi P. Joannis Baptiste Genuensis totius Augustiniani Ordinis Vicarii Generalis ,

suit , quem suum sensum litteris patentibus , in hæc , quæ subjun-

\* Dat. Ro- gimus , verba consignavit : \* Voluit insuper Divina Providentia Eccle- mæ die 20. siam Catholicam militantem , quæ & terribilis dicitur , & Regina in vescitu Apr. 1608. deaurato , circumambita varietate nominatur , non solùm diversis ins- titutis , & ordinibus coalescere , verùm etiam eosdem particulares or- dines ,

dines, & instituta aliqua diversitate multiplicari, ut eâ ratione universo hominum generi sufficienter provideretur, & nemo esset, qui non posset ad perfectionem accedere. Cum igitur Augustiniana Religio quasi Regina in vestitu deaurato circumamicta varietate procedat, vestita, inquam, Sanguine Martyrum, Sanctitate Doctorum, Confessorum, & Sanctorum Virginum candore, amicta varietate Familiarum, & diversorum institutorum, Ecclesiam Catholicam mirum in modum excornat, & vita asperitate, & continuis orationibus hostes suos ad terram prosternit, neque enim diversitas dissidium parit, aut divisam reddit regulam P. Augustini, quæ una est, & una vivendi forma, ab ipso met quondam suis omnibus instituta; etenim quemadmodum sub una fide, & uno baptismo appetit multiformis gratia DEI, ad decorum, & conservationem Ecclesie militantis, dividens singulis prout vult; & quidem alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores ad consummationem Santitatis, & ædificationem corporis Christi; ita una est prorsus P. Augustini regula, veruntamen multiformis gratia DEI, ad decorum, & conservationem Ecclesie militantis, dividens singulis, prout vult, suam amplissimam Religionem, non cessat quotidie fœtu novæ prolixis amplificare, atque ita quosdam dedit Conventuales, quosdam observantes, quosdam Discalceatos, quosdam Reformatos, qui vel paupertatem sectantes, vel librorum codices multiplicantes, vel litterarum studiis incumbentes, vel Confessionibus auricularibus insistentes operantur ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii hujus Religionis, & ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia. Ex quo sanè colligitur, non Confusio, neque Schisma, sed gloria potius hujus Religionis, gaudium, & lœtitia Ierusalem, & honorificentia populi nostri. &c. &c.

Quodsi neque histam liquidis testimoniosis factum est satis, eni ipsius Summi Pontificis oraculum \* Eminentissimi Cardinalis Sau- lii tum Universi Ordinis Protectoris decretò promulgatum: Notum omnibus facimus dilectos nobis in Christo Fratres Discalceatos Ord. S. Augu- stini, cum nonnullis in locis, præcipue in Gallia, & Sicilia, illud de se à - - - in vulgo spargi, vid. eos non esse veros, & germanos S. Augustini Filios, quod non solum magnum ipsis damnum, sed non leve etiam sacerdotalibus scandalum affert, ut inanes hujusmodi voces, antequam ulterius progrediantur, comprimerent, tollerentque omnino imposterum, suppli- cem ea de re SS. D. N. Paulo V. libellum dedisse, ut Sanctitas sua declararet eos, prout sunt, vera esse membra, & Filios S. Augustini, atque ut tales par- ticipes esse omnium Privilegorum, & gratiarum Mendicantium, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, & maxime earum, quibus Augu- stiniana gaudet Religio, insuper eos etiam posse instituere, cum omnibus gra- tiis, & Privilegiis Societas Corrigiatorum, & Corrigatarum, in singulis suis Ecclesiis, quemadmodum aliae Ecclesie ejusdem Ordinis possunt, & insti- tuunt, pariter declarare dignaretur, & si qui secùs dicere adhuc audierent, illorum ora censura, & pena aliqua obstruere. Quibus omnibus

\* Pauli V.  
P. M.

perbenigne auditis, Sanctitatem suam illos ad S. Regularium Congregacionem remisisse, ipsam vero S. Congregationem omnibus perbenigne auditis, inspectisque diligenter, rem totam nobis, qui horum omnium Fratrum, tam Conventualium, quam Discalceatorum Protectoris munus gerimus, dijudicandum, nomine, & jussu Sanctitatis sue reliquisse. Declaramus itaque, eos veros, & germanos esse S. Augustini Filios; eorum enim Congregatio ab ipsis Fratribus Conventualibus Romæ capituloiter congregatis anno 1592. quô in Magistrum Generalem electus fuit R. Andreas Fivizanus, instituta est. Præterea eos pro talibus à Summis Pontificibus habitos, & nominatos in Privilegiis, & Brevibus, quæ eis largiti sunt, aperte quivis videre potest, præsertim in Brevi à Fel. record. Clemente VIII. concessio, in quo ipsis, vestiendi dictam eorum Congregationem ingredi volentes, eorumque Professiones, tempore suo acceptandi, elargitur Facultatem. Deinde in illo etiam à PP. Paulo V. dato, post concessam vivæ vocis oraculo, nobis licentiam, eorum Constitutiones confirmandi, quam rem nos ipsi, cum pro eis intercederemus, obtinuimus, & pro ista confirmatione, ad majorem rei corroborationem, Breve etiam, sub annulo Piscatoris, à Sanctitate sua obtinuimus, in quo eos Fratres Reformatos Discalceatos Ordinis S. Augustini appellant, & tenet. Declaramus etiam illos, juxta eorum Sanctitati suæ libellum supradictum supplicem datum, omnium Privilegiorum, & gratiarum mendicantium, eorum maxime, quibus Augustiniana gaudet Religio esse participes, & posse in singulis suis Ecclesiæ Societates Corrigiatur cum omnibus Privilegiis, & gratiis erigere, à Vicario eorum Generali solummodo habita Facultate, sicut aliae Ecclesiæ ejusdem Ordinis habita à P. Generali Reverend. possunt, & insituunt. Quicunque igitur tantæ adhuc fuerit temeritatis, ut contrarium superius declaratis proferat, scribat, seu proferri, aut scribi faciat, sive quocunque aliò modò id efficere conetur, sciat, tam se, quam eum, qui impulsu jubentis id egerit, Excommunicationem latæ Sententiæ, & amissionem vocis, activæ, & passivæ si ne spe recuperationis, alias item pœnas, arbitrio nostro imponendas ipsò factò incursurum. In quorum omnium fidem &c. Romæ die 12. Oct. A. MDCXIII. Cardis Saulius Protector. Julius Picinus Secretar. Quæ quidem non velitandi studio, sed solius veritatis amore, & assere rendæ Augustinianæ Filiationis animo addidimus. Successit Thomæ in promovendo opere Ludovicus Legionensis supra laudatus, cuius zelus, cùm Provincialis Castellæ renuntiaretur, circa annum 1586. austeriorem vivendi modum suæ Provinciæ intulit.

\* In Mon.  
Augustin.  
mihi pag.  
208.

Vide Lector Crusenii \* testimonium: Ludovicus Legionensis, Vir Latinis, Gracis, Hebraicisque litteris instruissimus, Cathedraticus in Salamanica Universitate, Vicarii Generalis Officio, & Provincialis munere donatus, Provinciam laudabiliter recxit, arctiorisque vitæ (in Castellæ Regno) initium fuit: donec anno 1588. volente Philippo II. Hispp. Monarcha per eundem Ludovicum totâ Hispaniâ dilataretur, in Indias usque, & Americæ Provincias subinde transferenda. Certè Philippo III. Rege duodecas Reformatæ Religionis Alumniorum ductore Joanne à S. Hieronymo eximiæ virtutis Viro de

ad usque Philippinas Insulas transiit, sex sub ipsa initia, exstruetis Cœnobiis, unde, velut de speculis saluti quam rudit, tam efferae gentis prospicerent; nec verbis solum, sed & profuso Sanguine Christo testimonium dedere. Alphonsus siquidem à Crucce (cui Sacra Congregatio de propaganda fide conversionem potentissimi Carthajæ Regis, & octo millium Indorum in Provincia Uraba propè Carthaginem mediante ejusdem Patris absentis apparitione, cum adhuc viveret, acceptam refert) Bartholomæus ab Angelis, Petrus à S. Antonio, Hyacinthus à JESU Maria, Joannes à S. Thomâ, Alphonsus à S. Joseph lanceis intra corpus adactis cæsi, Franciscus à JESU, Vincentius à S. Antonio, Melchior à S. Augustino, Martinus à S. Nicolao lento plurium horum igne, velut præcedanæ victimæ, agone glorioso functi sunt.

At, angusti erant tantis animis Philippinarum Insularum limites; ipsa, quæ sub annum 1623. fervore occœpit in Japonia Christianorum persecutio, quam complures inclyt. Societatis JESU, aliarumque Religionum homines vivis, per atrocissima tormenta, exempti sunt, animos nostratibus addidit, missionem in eas partes adornandæ, Tyrocinio velut in Philippinis positô, quō barbariem non metuere didicere. Primores erant: Rodericus à S. Michaële, Vincentius à S. Antonio, Franciscus à JESU Triarii omnes, & in simili Palæstra veterani, eventu tam fortunato, ut hujus manibus 7000. illius propè tot fidei lumine illustrata, aquis salutaribns abluerentur. Rodericus certè non unam gentem Ecclesiæ subdidit, cuius merita, & quantum homo hic ausus sit Urbani VIII. Pontif. M. verbis, quibus ad Cathol. Hispp. Regem usus est, transcribimus: \* *Ad animas Christo lucrandas frequenter Oceanum peragravit dilectus Filius Rodericus à S. Michaële Sacerdos Augustinianus Excalceatus, nunc nota itinera repete, fluctuum pericula contemnere audet, in Insulis Regio Majestatis Tuæ nomine claris sapient de Principe tenebrarum divina lucis armis triumphavit, multosque gentiles à diaconi tyrannide eripuit. In Bassoræ, & Bessæ scopulis verbum DEI adeò feliciter disseminavit, ut regiones illæ ferae videantur non minus Christianæ Religionis fructibus fœcundæ, quam gemmarum fertilitate illustres. Multa in Oriente cœnobia exstruxit, ubi severiore D. Augustini disciplinâ imbuntur Fideles illi Tyrone.*

\* Urban.  
VIII. in lit.  
ad Reg.  
Hispp.

Hispania ergo hactenus, Lusitania, Indi, Japones Augustianos renovato vetere Discalceatorum instituto videre, reliquum erat, ut in Italiam, & Principem mundi Urbem translati, orbi innotescerent. Et feliciter evenit, cum A. 1593. Augustinus Maria, & Joannes Baptista, eō, quō nunc reformati utimur habitu Romam commeāscent, excepti perquām honorificē, & amanter ab Eminentissimo Cardinale Camerino, qui titularem suam Ecclesiam SS. Petri, & Marcellini eisdem concessit, subinde ob aēris insalubritatem cum Ecclesia S. Pauli de Arenula commutandam, donec Monasteriō, & Ecclesia, JESU, & Mariæ Sacra, non illa quidem ampla, sed elegantissima ob picturā, marmorūmque raritatem, Conventu insuper altero munificentia Principum Pamphiliorum S. Nicolai Tolent. instituendis Religiosae vitæ Tyronibus accommodatō, aucti sunt. Ex hac ergo Urbe Principe, ut quondam Romanī, Colonias in Galliam, Siciliam, Sardiniam, Sabaudiam, Hebruriā, Ditiones Venetam, Genuensem, Mediolanensem, tandemque Germaniam, & in primis hæreditarias Augustissimæ Domus Austriacæ terras duxeré, aucti subinde Cœnobii, hominibus virtute, & Sanguine nobilibus, charitate proximi, rerum terrenarum contemptu, ac Doctrinā celeribus. Non possumus hæc scribentes non meminisse primorum in hac reformatione nostra Patrum, quorum Sanctitate, meritis, & bonō virtutum odore illesti Imperatores, Reges, Principes, & Respublicæ Monasteria nostratis condidere, gratiis auxere, & velut indigetatu donavere, daturi suō locō celebriores Germanicæ Provinciæ homines. Paucissimos tamen feligemus, ne plus Ordinis totius, quām Ecclesiæ Cæsareæ, & contigi Monasterii historiam scribere videamur.

\* Libr. de Vir. illust. Discalce. S. August.

\* Agmen ducat Augustinus Maria à SS. Trinitate primus inter Discalceatos Vicarius Generalis Conventū Romani, & templi Pamphiliorum Principum munificentia conspicui erector, integerrimis moribus officio, quō fungebatur respondens, Regularis vitæ cultor indefessus, Viris Romæ Principibus Sanctitatis opinione clarissimus. Jacobus à S. Felice V. Generalis Monasticæ Disciplinæ, & rigidioris instituti Zelator acerrimus, trienniō à morte inter duos aquæ ductus incorruptus. Alipius à S. Francisco nobilissimi Ursini stemmatis, trium unciarum duntaxat pane in dies vicitans, pisces, avesque obsequentes habuit, defensum luminis accensō digitō supplevit, pluribus, sibique ipsi valitudinem ope Virginis prædixit, celeriter consummatus diem supremum Neapoli obiit, à populo Sanctus habitus. Joannes à S. Nicolao Vir litteris, & pietate notissimus, cui Neapoli missam facturo Angelus, pueri specie, ad aram servivit, exuviiis ejus, quia Angelorum innocentiae æmuli, in hanc diem tabis expertibus. Alexander à S. Felicitate Nob. Germ. è Doctore celeberrimo in Schola Christi Tyro, tantum Sanctitatis studiō profecit, ut vivus miraculis claresceret, mortuus à Massiliensibus assylum necessi-

cessitatum omnium habeatur. Joannes à S. Maria V. Generalis virtute destina Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ amorem sibi conciliavit, cuius auspiciis coloniam in ejus terras transduxit, amplissimis nunc Cœnobiis auctam. Salvator à S. Fulgentio nondum Sacerdos rigidissimus in Innocentia penitens felicem à morte, quam ad momentum prædixit, auspicatus æternitatem. Marcellus à S. Dominico donorum gratiâ illustris, miraculis divinâ ope patratis non una urbe clarus. Elias à S. Lucia Pulsani oppido defunctus, tantum illis oppidanis ejus corpus fuit in pretio, ut Carbonatiam transferendum, tumultuantes, & ad arma conclamantes sibi vendicare studuerint, non alias, quam parte integrissimi corporis bieniō exactō à morte, recentem fundente Sanguinem, relictā placati. Constantinus à S. Joanne frequentibus DEIparæ apparitionibus felix. Paulus à S. Petro Conv. centesimo vitæ anno ordini adlectus, sexdecim annis suam stationem tenuit, canitie sua dignas virtutes exhibens. Joannes Maria à S. Salvatore Conv. in omnem ætatem Virgo, occasū sui divinitū præscius. Joannes à S M. Magdalena Conv. Philippo Hisp. Monarchæ acceptissimus, dum viveret secretorum DEI particeps, mortuus gloriosam sui præsentiam pluribus exhibuit. Leo à S. Jacobo è pastore Monachus, frequenter rerum divinarum contemplatione extaticus, de altissimis mysteriis, quanquam amusus differuit, atque ideo Doctissimis admirationi fuit. Bartholomæus à S. Petro Conversus tenerrimō in Matrem Virginem amore saucius, ægrorum minister assiduus, scipione suo, velut alter Moyses, portenta complura patravit. Stephanus à S. Andrea, mysteriorum divinorum cognitione, futurorum prænotione Genuæ notissimus; ut eos prætereamus, qui grassante in urbibus, oppidis vélue, spontaneo ausu obsequio infectorum se devoentes, victimæ charitatis occubuerunt. Unum duntaxat Joannem à S. Guilelmo addimus summæ virtutis Virum, qui post Eremiticam, quam egit vitam, monente DEIpara, nostris adscriptus, afflictione corporis, sui mortificandi studio clausus, Senarum, oræque Senarum maritimæ Apostolus, infinitorum propè miraculorum patrator, trium dum viveret mortuorum resuscitator, à morte (quâ An. 1621. functus est) incorruptus (sic, ut arcis putredine consumptis corpus ejus putidis aquis triennio innatans sínē tabe, flexilibus, velut viventis artubus, & recenti Sanguine manantibus inveniretur) Sanctitatis testimonia affatim Christiano orbi exhibuit, renovatō paucis ab hinc annis miraculō, cùm in Apostolicorum Visitatorum præsentia Sanguis ejus cum intestinis integrissimis vase servatis ebulliret, & sputas ageret; cuius sepulchro, quod Battiniani Hetruriæ oppido est, tota Italia confluens supplex, adsternitur, quemque propediem aris, & Divorū catalogo velut insigne reformatæ Religionis decus hoc steculo adscribendum speramus. \* Sanè apud nostros sínē probatio- nis quidem Anno, dispensante Summo Pontifice Gregorio XV,

& id vivæ vocis Oraculum Eminentissimo Cardinale Bellarmino referente , professionem emisisse , ipsum ejus chirographum , apud nos servatum evincit , ut proinde miremur Crusenium celebrem Ord. S. Augustini Chronographum hæc ignorasse , aut subticuisse ,

\* Cap. 49. \* Cūm enim ad Castrum Battigniano Dicecessis  
Monast: „ Grossetanæ rogatu PP. Discalceatorum Ord. S. Augustini evocatus  
Augustin. „ esset, ut ibidē erutis fundamentis ad Monasterij ædificium primam  
„ petram collocaret , suamque benedictionem erecta cruce imperti-  
„ retur , parva infirmitate correptus , plurimis Sanctitatis indiciis  
„ editis , feliciter ad Dominum migravit , exhortationi intentus . - -  
„ Beatum hoc corpus , jussu Reverendissimi P. Generalis delatum fuit  
„ ad monasterium Tirlense , quod Joannes vivens incolebat . Ulti-  
mis Crusenii verbis assentimur Tirlensi in cœnobio olim vixisse , at  
mortui corpus ibidem sepultum ocularis experientia , Visitationes  
ejus Corporis ad effectum Canonizationis Apostolicæ in Ecclesia no-  
stra Discalceatorum Battiniani Hetruriæ oppido , frequenter , &  
nostro quidem ævo habitæ , inficiantur . Professionem emisisse inter  
nostros , Herrera & ipse Chronographus Augustiniani Ordinis te-

\* Alphab. statum facit , cum sic scribit \* „ Verùm post quadraginta annos in  
Aug. Lit. I. „ coīmuni Ordinis Provincia transactos in mentem venit , visumque  
„ est ei bonum pergere ad PP. Excalceatos Italiæ , qui ei boni appa-  
„ rebant Servi DEI , & lucebat in eis gratia divina , eosque audiebat  
„ devotissimè vivere , & verè sic erat . Et verò crediderim , non  
„ levitate seneñtis , aut Zelo aliquo minus prudente ductum , id  
„ cogitasse , sed verè à Domino immisum in mentem ejus , tum , ut  
„ novellam plantationem illustrissimo germine fœcundaret , & no-  
„ bilitaret , tum etiam , ut DEus Ministros provideret , qui post  
„ Joannis obitum , de Gloria Joannis in terris exaltanda sollicitio-  
„ res , & calidiūs procurarent . Obtinuit igitur DEI Servus , die 25.  
„ Febr. 1621. Facultatem à Gregorio XV. ad Congregationem Ex-  
„ calceatorum transmigrandi , & absque anno probationis professio-  
„ nem emittendi &c. Ad novas ergo ædes ( Battinianenses Discalc.  
„ S. Augustini intellige ) non sine populorum repugnantia , vel do-  
„ lore deductus Joannes die 3. Maii Anno 1621. novam professionem  
„ emisit .

Nec penes viros solum arctioris vitæ desiderium stetit , etiam  
tenellæ Virgines paria viris austæ reformatis Augustiniani Ordinis  
monialibus initia dedere . Certè Mariana à S. Joseph emeritæ vir-  
tutis Heroïna , cùm Eboracensi in Conventu reformationis jecisset  
fundamenta , Theresianos induita Spiritus illam Madritum ad Re-  
gium planè Incarnationis monasterium à Margarita Austr. Philip-  
pi III. conjugé excitatum transtulit , ipsa subinde plurimis defun-  
cta laboribus ad agni cœnam translata ; illi sociam se junxit Maria  
à JESU nobilissimis orta natalibus , innocentissimæ vitæ mulier ,  
quæ in arduis , Reformationem concernentibus ab iconè Salvatoris  
non semel oracula accepit , corpore ejus integerrimo , vix sexagesi-  
mo

mo ab obitu die, ob populi illud venerantis concursum, sepulturæ illatō. Plures, quas possemus, brevitatis studiō, non addimus Virgines animas, quæ variis in cœnobiis reformati Ordinis vitam vixere, & vivunt angelicam. \* Quæ quidem omnia sic à nobis dicta sunt, ut miracula, Sanctitatis indicia, & hujusmodi, sola humana certitudine nixa referamus; nec majorem quam Historiæ fidem Summ. Pontificum decretis obsequentes, nobis adstrui cupimus. \*

\* Hist. Dis.  
S. August.  
Congr.  
Hispp.

\* Protesta-  
tio Auth.

*Augustiniani Discalceati in Cœfaream S. Augustini Ecclesiam per Ferdinandum II. glor. mem. Imperatorem An. Chr. MDXXX. introducuntur, gratiis & Privilegiis foventur, inde in hæredit. alias Augustissimæ Domus Provincias Colonias ducunt.*

**H**is igitur, tantisque Viris, quos recensuimus, Religio reformata celebris, mirum est; quam celeriter in orbe Christiano dilatata sit, sic, ut illicè sub initium sæculi decimi sexti, vel prope initium in Hispaniarum Regno, \* Madritense, Talabri- \* Hist. Di-  
cense, Toletanum, Complutense, Machædanum, Xarandilia- scalc. Hisp.  
num, Salmanticense, Portillense, Vallisoletanum, Navis Re-  
giæ, in valle vitiosa, in oppido S. Crucis, in valle de fontibus,  
Stremoliense, Valentinum, Cæsar-Augustanum, ibidemque in  
urbis pomero alterum, tertiumque, Calatujense, Borgiense,  
Oscanum, Alagonense, Candiliense, Barcinonense. Guifonen-  
se, Bernabacense, Bilbilitanum, Zueranum, Boleanum, Hispa-  
lense, Granatense, de S. Fide, Almagrense, Luchense, Tobo-  
siense, Alcabricense, in censem non venientibus Monialium duo-  
bus supra quadraginta asceteriis, in Lusitania Conimbricense,  
Santarense, Ulyssiponense, Montis Morelli, Setubaliense, Mo-  
ranum; In Philippinis Insulis Malinensis tria, Zebuense, Gabi-  
tense, Biutanense, Linasense, Cajaganense, Bajuglense, La-  
javense, Camiguense, Bacuaghense, Cidargonense, Parassoen-  
se, Tandaghense, Bislinense, Taghense, Bagangauense, Binal-  
gabanense, Tuggavanense, Romblonense, Bantonense, Fuyen-  
te, Duivallense, Dumaranense, Calaminense, Bolinasense,  
Maslingense, Sigainense, Mariviense; In terra firma Oceani,  
Candelariense, Carthaginense, Panamense, Natanense, Mexi-  
canum, Tunxenense, Monasteria, & Residentias numeraret. Pro-  
vinciæ, \* quæ Gallorum Regi parent, nec paucioribus coloniis  
auctæ sunt; siquidem in Delphinatu cœnobium Villaris Benedi- \* Maurit.  
cti, Camberiense, Burgundiense, Gratianopolitanum, item in à Mat. Dei  
eadem urbe alterum, Lugdunense, Voyronense, Viniacense,  
Viennense, Burnacense, ad Montem Crescentem, Claromon-  
tanum, Massiliense, Avenionense, Aquensis bina, Arelatense,

in Eremo  
August.

Tolonense , Perpinianense , Taulianense , Malauense , Berjanonense , Orgonense , Tarasconense , Tolosanum ; in ipsa Francia : Regium Parisiense ad S. Germanum , Clarofontense , Argentolense , unà cum Missione Africana , juxta Hypponem Africæ , in loco , Bastion de France dicto , amplissima cœnobia est reperire . Quodsi Italiam , Siciliam , Sabaudiam , Hetruriam , Genuensem & Mediolanensem ditiones lustremus , quibus incrementis domum nostratum numerus non auxit ? Eas Ordine elementari exhibemus : Acquævivæ in Marchia Anconitana , Albizolæ in Liguria , Amelie , Asculi , Atri , Aversæ , Battiniani in Oris Senarum maritimis , Biellæ in Pedemontio , Boruntii in Diœcesi Vercellensi , Calatanissetæ in Siciliâ , Cameratæ , Carbonariæ , Calsis veteris , Catanæ in Sicilia , Cerri , Comachii , Cremonæ , Dulcis aquæ , Firmi , Ferratæ , Florentiæ , Frusinone , Gaetæ , Genuæ , & alterum ibidem , Gibelinæ , ad S. Georgium , Italæ in Sicilia Messianensi , Lezzi in Calabria , Lezzi in Regno Neapolitano , Maceratæ , Marsellæ , Messinæ in Sicilia geminos , Mediolani item duos , Mondavi in Pedemontio , Montleone in Calabria , Monterrani , Monzæ , Musumellæ , Nardi , Neapoli duos , Nizzæ , Novarræ , Palermitanos geminos , Patanæ , Paviæ , Placentiæ , Piænæ , Pianezzoë , Recinetense in Liguria , Sancti Remi in eadem Provincia , Resinæ , Romæ binos , Salutiis in Sabaudia , Señtri in Liguria , Spoleti , Taurini , Tortonæ , Trapani , Trioræ , Troppæ , & in Valle viridi , Conventus amplissimos Reformata Augustiniana Religio incolit .

Reliquum erat . ut quæ ab Austriacis Principibus Hispaniarum Imperio moderantibus ab incunabulis plusquam Paterna cura fovebatur Religio , iisdem Austriacis Principibus in Germania faventibus adolesceret , & uberiora caperet incrementa . Eventu , non solum non præviso , sed ne præcogitato quidem res acta est . Accidit , aut divinæ potius Providentiæ opus erat , ut bini Religiosi nostri , patriâ Germani ; Severinus à S. Jacobo , & Sixtus à S. Laurentio in Italia Ordini adlesti , hic Moravia , alter Moguntina ditione oriundi , amicorum visendorum causa , quos in Regno Bohemiæ habuere Pragam diverterent , ubi Sixtus Illustrissimo Guilelmo Popelio à Lobkowiz ( nunc Imperii Principibus hæc familia accensetur ) olim notus , se , sociūmque Anno 1623. stitit . Is benignissimè exceptis , officia sua , si quibus egerent , defert , præprimis si stabiliendæ in eo Regno Congregationi nostræ locum idoneum reperirent . Erat ea ætate misera Regni illius facies , hæresis quippe potissimam ejus partem , potissimòsque infecerat , cīlibus discordiis collidebantur animi ; subditi , quod ad defectiōnem non unius Heterodoxi Principis , ac in primis Friderici Paltini , regnō , quod perperam usurpaverat , exuti suggestionibus incitarentur , minus obsequentes , profanata Altaria , viduæ Pastoribus Ecclesiæ , direpta Monasteria , Sacerdotes , Monachique clau-

claustris pulsī , complures eorum extremō suppliciō affecti , sic ,  
 ut res Catholica pessimo loco consistere videretur . Vicit tandem  
 Ferdinandi II. Augusti Pietas , qui Mathiæ Imp. Successor datus ,  
 profligato in Albo monte hostili exercitu , Maximiliano Bojarīæ  
 Duce Belli Imperatore , motus seu malè metuentium , seu malè  
 sperantium compescuit , pristināmque , post annorum complu-  
 rium iactationem , tranquillitatem restituit . Ergo primæ Illius  
 curæ Sacris prospicere , Evangelii Präcones unde unde accersere ,  
 Sacerdotes in eorum vicem qui vel loco pulsī , vel spontaneō  
 exiliō se damnarunt , procurare , Cœnobia , & Monasteria aut ve-  
 teribus possessoribus reddere , sin illi deessent , alios surrogare ,  
 Viros intrepidos designare , qui animos malè in transversum actos  
 ad orbitam salutis reducerent , unde palam respirare cœpit fides  
 Catholica , quæ tantis motibus agitata , tantum non in ultimum  
 discrimen venerat . Occasione hac usi P.P. nostri , & animos ad-  
 dente , quem supra laudavimus Guilelmo à Lobkowiz , de loco  
 designandi Monasterii circumspiciunt , repertaque in Nova Urbe  
 vetustissima D. Wenceslai Ecclesia , eam sibi infimis precibus , ab  
 Augustissimo Ferdinando II. depositum , Illustrissimo , & Reve-  
 rendissimo Carolo Caraffa , tum per Germaniam Nuntio Aposto-  
 lico in id negotium totis Viribus incumbente . Facilis Cæsar , ut  
 erat in omnem fidei propagandæ occasionem pronissimus , deside-  
 ratis annuit , atque ita hoc Templum , translata aliò Parochiâ per  
 Ernestum II. \* Pragensium Archi-Episcopum , cum jūribus , &  
 appertinentiis omnibus Discalceatis traditur . \* Hic , cùm pe-  
 dem fixissent , mirum dictu est , quâ alacritate , & contentione ,  
 convertendis hæreticis , evel lendis stirpitū erroribus , ad frugem  
 reducendis peccatoribus , insudârint , ut passim hac causa Urbi ,  
 bonisque omnibus amori essent , atque ideo ære , rebus ad vitam  
 tolerandam necessariis instruēti , novum à fundamentis cœnobium  
 molirentur , in quo liberalibus Disciplinis , Theologia tum Scho-  
 lastica , tum Polemica novellæ plantæ imbuerentur , Tyrociniō etiam  
 compluribus educandis adornatō ; adhuc quidem ignari , hos eos-  
 dem esse , quos novæ Coloniae in Imperiale Monasterium Viennen-  
 se , aliòque deducendæ Providentia Divina pararet . Nolumus hic  
 deesse elogium , quod Paulus Arringhus in congerminata voce Tur-  
 turis \* Primævæ nostræ in Germania plantationi scripsit : *Discalce. S.* \* Arringh.  
 Augustini Congregatio , insigne quoque in Imperio Teutonico Eremitanae Fami-  
 liæ contulit ornamentum , ab ea enim prodierunt , ut rami ex arbore ,  
 non nullis ab hinc annis Religiosissimi Viri , qui asperiorem observantiam  
 profitentes mirifice illam propagârunt . Inde usque in Germaniam , exten-  
 dit propagines suas . Pragam enim petentes ab Eminentissimo Cardinale  
 Harrach , & aliis Comitibus , & Baronibus benignè excepti , undū lustrō ,  
 Monasterium S. Wenceslai erexerunt . Ibi devote famulantes ascetæ , seu  
 novitii numerō triginta , Spiritu ferventes , Orationi instantes , carnem  
 jejuniis , viciis , & vestimenti asperitate crucifigentes cum vitiis , &

\* Adalber-  
 ab Harrach  
 \* Lustri Sto-  
 riali de  
 Scalzi Agos.

in conge-  
 voce Turt.

concupiscentiis, se ipsos populorum præbent exemplum. Cæteri Fratres, vel confessionibus Sacramentalibus intenti, vel choro laudes divinas excsolventes, vel concionibus frequentissimis, cum ingenti fidelium concursu, insistentes, Apostolicae vitæ vestigia adhuc supresse demonstrant &c. &c. Quô factum est, ut facti Christi bonus odor, veri Augustini imitatores, à diversis certatim civitatibus exigantur, ut hæc cœli planta ibidem planretur, ut fructus producantur ad sanitatem gentium; hoc titulo postulati à Sereniss. Leopoldo Principe Filio Regis Poloniae, à Civitate Olomucensi, &c.

His igitur, quas ex Arrhingo attulimus, Sanctis occupationibus intentiad An. Chr. M DC XXX, in Pragensi Cœnobio stationem tenuère, donec Ferdinandus II. Imp. cum Nuntio Apostolico Joanne Bapt. S. R. I. Cardinale Pallotto, cæterisque Sanctorum Consilii Principibus Viris consilium agitaret, de vocandis in contiguam Aulæ Cæsareæ S. Augustini Basilicam ejus Ordinis Reformatis, Eleonora Mantuana Imperatrice Conjuge, & inclytæ Societatis JESU Patribus, quos tum Imperator, Imperatrix & Aula Cæsarea à Sacris Confessionibus habuit, quosque gratitudinis causa nominamus, partes Discalceatorum strenuè sustinentibus. Urbani VIII. Pont. Max. assensus expectandus adhuc erat, quem Cæsar, litteris ad eundem datis, perquam facile impetravit, ab eo scil. Pontifice, cui nostra semper in amoribus erat Religio, quāmque Privilegiis, ac incrementis semper auctum ivit. Negotium omne rei hujus Cardinali Pallotto commissum est, vigore Brevis Apostolici ad eum dati die 23. Martii 1630. quod ipsum hic exhibemus: Urbanus Papa VIII. dilecto filio nostro Joanni Bapt. S. R. E. Presbytero Cardinali Pallotto. Dilecte Fili, salutem, &

\* Bulla Ur-  
bani VIII.  
P. M.

Apostolicam benedictionem. Impositi nobis, per abundantiam divinae gratiae, Pastoraliis Officii debitum postulat, ut ad ea mentis nostræ actionem assidue intendamus, per que Regulares persona, divini Numinis observantes vacantes prosperè dirigantur, ac sub Regularium Institutorum suorum observantia, felicioribus, indies proficere valeant incrementis, &c. Cùm verò Fratres Reformati nuncupati ejusdem Ordinis, in Pragensi, ac aliis Germaniæ Civitatibus, & locis, sub strictioris observantiae Regulis ipsius Ordinis, uberes in vinea Domini fructus afferant, proindeque idem Ferdinandus Rex, in Imperatorem Electus, ad divini cultus incrementum, ac Christi fidelium ædificationem, per Nos in præmissis, ut infra, opporenè providere summopere desideret; Nos piis dicti Ferdinandi Regis in Imperatorem electi votis hujusmodi annuere volentes, supplicationibus Ejus nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, circumspetionis tuae, Fratres Reformatos prædictos in dictam domum, &c. transferendi, Facultatem Apostolica auctoritate, tenore presentium, concedimus, & impartimur; Non obstantibus &c. &c. Datum Romæ apud S. Mariam Major, sub annulo piscat. die 23. Martii 1630.

Marcus ergo à S. Philippo natione Germanus, olim quidem Viennensis, ob zelosissimas, quas ad Cæsarem, Aulam, ipsosque habuit Conclaves, notissimus, Damasus à Nativitate, Placidus

cidus à S. Stephano Sacerdotes , cum Guilelmo à S. Martino Cle-  
 rico Pragâ evocantur , donec meditatum negotium suum sortire-  
 tur effectum , apud RR. PP. Capucinos peramanter , pro Religio-  
 nis illius more excepti hospitantur , eodem quo advenerant Men-  
 se Majo , per Lucam Holsteinum Proto-Notarium Apostolicum ,  
 SS. D. N. Cubicularium , non ignotum litteratis virum , à Cardi-  
 nale Pallotto deputatum in plenam Monasterii , ac Ecclesiæ posses-  
 sionem introducuntur . Litteræ , quibus & Holsteinio commissa ,  
 & peracta est introductio subjunguntur : \* Joannes Bapt. S R. E. \* Decret.  
 Presb. Card. Pallottus , &c. &c. Cum vigore litterarum Apostolicarum SS. Emi. Card.  
 D. N. D. Urbani divinâ Providentiâ Papæ VIII. in forma Brevis expedita-  
 rum , ad instantiam S. Cæsareæ Majestatis , sub die 23. Martii præsentis  
 Anni 1630. nec non Decreti nostri in earumdem executionem emanati sub  
 die 10. hujus &c. &c. Authoritate nobis à SSmo. concessa , & quâ fun-  
 gimur in hac parte , tibi R. Domino Luca Holsteinio , de cuius pietate , do-  
 ñina , morumque integritate plurimum in Domino confidimus , tenore  
 præsentium committimus , quatenus PP. Reformatos nuncupatos supradi-  
 ctos in domum Regularem , & Ecclesiam præfatas transferas , & in veram  
 actualem , & corporalem possessionem , tam domûs , quād Ecclesiæ una cum  
 pertinentiis ipsarum inducas , & immittas , quemadmodum & nos eosdem  
 PP transferimus , inducimus , & immittimus , reservato tamen nobis ju-  
 re , providendi &c. &c. Volensque ad executionem profati decreti , seu  
 commissionis , ut par est , devenire , RR. PP. Discalceatos , Reformatos  
 nuncupatos ejusdem Ordinis Sancti Augustini vid: P. F. Marcum à S. Phi-  
 lippo , P. F. Damasum à Nativitate Domini , P. F. Placidum à S. Stephano  
 Sacerdotes Professos , & F. Guilelmum à S. Martino Clericum professum no-  
 mine totius ejusdem Ordinis , in corporalem , realem , & actualem posses-  
 sionem domûs Regularis , & Ecclesiæ Ordinis S. Augustini , prope Palatium S.  
 Cæsareæ Majestatis præfatae sitarum , juriūque , & pertinentiarum ipsa-  
 rum iuxta formam supradicti Decreti , seu Commissionis per traditionem ,  
 ac palpationem clavis , introitum ad altare , ac pulsationem campanarum  
 ejusdem Ecclesiæ , & subsequenter per accessum domûs Regularis , & per  
 ratiū vētis anterioris portæ , & per introitum ejusdem domûs , nemine  
 contradicente , transfluit , induxit , posuit , & immisit ad ea libere , &  
 pacificè habenda , & possidenda in perpetuum , & nihilominus omnibus , &  
 singulis quorum interest , aut interesse poterit quomodolibet in futurum , ut  
 PP. Reformatos prædictos , eorumque Successores in veros domûs Regula-  
 ris , & Ecclesiæ prædictarum Possessores perpetuis futuris temporibus re-  
 cognosci faciant , præcepit , & mandavit , &c. &c.

Sic stabiliti reparandis Ecclesiæ , Monasterioque quæ vetusta-  
 te vitium fecerant , animos adjiciunt , arctioris instituti tenaces ,  
 strictissimæ solitudinis cultores , Hæreticis ad fidem reducendis  
 non inanem elocant operam , cūmque per paucitatem oneri , quod  
 sumplerant , pares non essent , suppetias Italiâ , Bohemiâque ,  
 Viros simul & piissimos , & litteris Sacratioribus apprimè instru-  
 etos accersunt , quorū tamen numerum grassante sub hunc an-

num maligna lue , morbus ater servitio ægrotorum haustus valde diminit. Juvat ex authore celebri , ne nostra plus æquo venditare videamur adducere , quis aulæ Cæsareæ , quis Viennensium de nostris sensus fuerit : \* Ipse invictissimus Ferdinandus Imp. Religio-  
 nis , & pietatis Constantini emulator , Viennæ Monasterium iisdem Fratribus assignavit , ibi asceterium , ubi Novitii plurimi sub duorum Magistrorum cura educantur , & ad Religionem informantur , cum aliis Religiosis tota Viennensi civitate in odorem unguentorum , exemplorum scilicet , ad ædes Augustinianas confluente , quas Imperator , Imperatrix , Rex , & Regina , Archiduces , cum Sacra Functiones , Supplicationes , aliisque exercitia pia peraguntur , etiam suâ præsentia cohonestant , & mirando ardore , in toto Imperio dilatandam Augustini sobolem concupiscunt , & satagunt , ubi olim tanto pudore plantata erat cœlestis illa vinea ; sub tempore enim S. Guilelmi Ducis Aquitaniæ , qui multa in Germania cœnobia extruxit grande augmentum suscepit : Quæ procedentibus temporibus nonnullis fratribus repentibus , iterum innovato spiritu arctioris observantie , ad pristinam , & antiquam formam innovata , insignes in Doctrina , & sanctitate Viros produxit . His cuniculis , his machinationibus , ut olim temerè in vulgus sparsum Ecclesiam Cæsaream nostram fecimus , non violentis precibus , non importunis sollicitationibus , non dolo , non fraude , sed spontanea M. Cæsar's donatione . Causas illius , quod egit , Sapientissimus hic Princeps habuerit , non libet nobis , sed nec licet tantorum Principum intentionis , arbitris esse , quamvis quædam fortasse subodoremus , quædam nobis liquido constent , quædam scripto teneamus , quæ consulto secretis scriniis commissa relinquimus , nisi forte , quod non speramus , clarigatione opus esset . Ferdinandus certè abunde causas expoluit in eo Decreto , quô Privilegia , immunitates , prærogativas huic nostro Imperiali Monasterio largitus est , ut palam liqueat , quô amore , quantaque Benevolentia Magnus ille Princeps nostros complexus sit , siquidem , dum vixit , eos inter conversari , Spiritualibus Exercitiis , choro , pauperi mensæ interesse volupe duxit , idque suis Aulicis non una vice testatus est . Successere in eamdem Beneficentiam Throni , & Augusti stemmatis Successores Ferdinandus III. , Leopoldus I. Josephus itidem I. gloriosissimæ memorie Cæsares , tum & Augustissimus Carolus VI. qui orbis bono Imperio præst , hi concessas gratias , & Privilegia , non rata solidum habuere , sed majoribus auxere . Ferdinandus III. Principes , Reges , Republicas nostri causa litteris frequenter convenit , Institutum nostrum iisdem tenerimè in eorum Ditiones admittendum commendavit , Leopoldus gl. mem. pluribus Monasteriis auxit , quæ infra recensebimus , cumque , nescio quid negotii , in Romana Curia , nobis quidam faceſſerent Oratori suo in mandatis dedit ; omni contentione Jura , Privilegiaque nostra tueretur , verbis

\*Arringh.  
incongr.  
voce turt.

verbis sequentibus manu sua scriptis usus : \* non passurum se unquam, ut vel in minimo, quod quietem, jura, Privilegiaque nostra attinet, lacesteremur. Eadem spes de Augustissimo Monarca nostro Carolo, cum Imperium capesseret, fuit, sed spem, quamvis amplissimam, ingentes gratiae, beneficiorumque cumuli excessere. Nunc ipsum Ferdinandi II. Decretum subjungamus : \*

\* Lit. Leo-  
Poldi Imp.

Ferdinandus II. divina favente Clementia electus Romanorum Imperator S. A. ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. &c. Rex Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Lucemburgæ, Wirtembergæ, Superioris, & Inferioris Silesie, Princeps Sveviae, Marchio S. R. I. Burgoviæ, Moraviae, Sup. & Inf. Lusatiae, Comes Habsburgi, Tyrolis. Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, &c. Landgravius Alsatiæ, Dominus Marchia Sclavonicae, Portus Naonis, & Salinarum. &c.

\* Diplom:  
Ferd. II.  
dat. Anno  
1631. 22.  
Januar.

Ad perpetuam rei memoriam, tenore praesentium significamus, quibus expedit, Universis. Magnus ille amor, quo Summum Ecclesiae lumen, hereticorumque malleum S. Augustinum, & ejusdem Canonis, seu Regulae Statutores semper prosecuti summus, exposcit, ut illos, quos in praefata Regula, uti par est observanda, gnaviter insudare videmus, favoribus, & gratiis nostris singulariter complectamur. Quam ob rem, cum FF. Augustinianos Discalceatos Reformatos in nostra Civitate Pragensi in Ecclesia, & Monasterio S. Wenceslai Novæ urbis sub strictioris observantia Regulis ipsius Ordinis uberes in vinea Domini fructus afferre novissimus, eodem ad domum Regularem, & Ecclesiam ejusdem S. Augustini Viennæ, juxta Palatum nostrum sitam &c. &c. Ad divini cultus incrementum, ipsius præclarissimi Ecclesiae Doctoris S. Augustini gloriam, ac Christi fideliam edificationem, de Beatissimi D. N. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Licentia transferri procuravimus : Quod etiam vigore Diplomatici ejusdem die vigesima tertia Mensis Martii Anno MDC XXX. Romæ sub annulo Piscatoris expediti, & ad Reverendissimum D. Joannem Baptistam Cardinalem Pallottum S. Sedis Apostolicae apud Nos tunc temporis, cum potestate Legati à Late-re Nuntium, directi, consecuti sumus &c. &c. Devoti PP. Augustiniani Discalceati vid. \* P. F. Marcus à S. Philippo, P. F. Damasus à Nativitate Domini, P. F. Placidus à S. Stephano Sacerdotes professi, & Fr. Guilelmus à S. Martino pariter Clericus Professus, nomine totius, ejusdem Ordinis, seu Congregationis Discalceatorum Augustinianorum, in corporalem, realem, & actualem possessionem praefatae Domus Regularis, & Ecclesie S. Augustini Viennensis propè Palatum nostrum sitæ, per ipsummet Lucam Holstainium, ad hoc, ut jam diximus exequendum delegatum, translati, inducti, positi, & immisssi sunt, ad ea libere, & pacifice habenda, & possidenda in perpetuum, Omnibusque, & singulis quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, ut PP. Discalceatos Augustinianos predictos, eorumque Successores in veros Domus Regularis, & Ecclesie predicatorum possessores, perpetuis futuris temporibus recognosci faciant, per eundem pariter Lucam Holstainium, Apostolica, quâ in hac parte fungebatur, autoritate est demandatum. Quod uti Nobis, & nostræ insuper Conjugi, Serenissimæ,

\* Primis  
Discal. Ec.  
Cæs. S. Au-  
gusti. con-  
sideratur.

¶ Augustissimæ Principi , ac Dominæ Eleonoræ Romanorum Imperatrici , Hungariæ , & Bohemiæ Reginæ Archi-Ducissæ Austriae , natae Ducissæ Mantuae ( de cuius etiam assensu , voluntate , & impulsu , ad Sacri quoque ab eadem B. V. Lauretanæ , in supradicta Ecclesia eretti Sacelli \* augendam devotionem , cultumque promovendum , præfata translationem procuravimus , & , ut dictum est , etiam obtinuimus ) gratissimum , & acceptissimum fuit , ita , ut intactum , inviolatumque servare deinceps exceptamus . Quare ad honorem , & gloriam SS. Trinitatis , gloriose Virginis Mariae , ac ipsius præstantissimi Doctoris S. Augustini , supra memoratorum Fratrum Augustinianorum Discalceatorum seu Reformatorum , pietate Christiana , & Catholicæ fidei zelo , de Sacrarum litterarum præstanti Doctrina , viteque in primis , ac morum Sanctitate , tum etiam humilitate , paupertate duci Cæsareæ nostræ authoritatis robur , seu firmitatem ipsorum ad præfata Domum Regularem , & Ecclesiam S. Augustini Vienna propè Palatum sitam , introductioni , translationi , & immisioni eò libentius adjicimus , quo prædecessores nostros Albertum præsertim secundum felicissimæ reminiscientiae , Reformationem ipsam sive observantiam in præfata Regulari Domo perpetuis futuris temporibus retinere voluisse cognoscimus . Illudque Martini V. Diplomate V. Calend. Sept. An. 1422. Tibure expedito , & per Venerab. & devotum Henricum de Kitzpuhel Fataviensem Decanum , ab hoc Pontifice specialiter electum Commissarium , die decima septima Januarii sequentis anni recogniti , & pariter approbati invenimus asscutum , Reformatione ipsa , seu observantia in eadem Regulari Domo Viennensi , quo piis ejusdem Alberti Austriae pro illo tempore Archi Ducis , & subinde Romanorum Regis , votis abunde satisficeret , Apostolica etiam autoritate firmata ; & iterum Nicolai V. \* Litteris und. Cal. Febr. 1441. Romæ apud S. Petrum expeditis , instantे pariter , & eamdem promovente Friderico \* Romanorum quoque Rege , ibidem Apostolica pariter firmitate roborata , quam etiam autoritate nostra , quantum necessè est , approbamus , roboramus , & communimus : Volentes , & expressè decernentes : ut ipsi Fratres Discalceati seu Reformati prælibatæ Domus Regularis , & Ecclesie Sancti Augustini Vienna , juxta Palatum nostrum sitæ , veri Domini , secundum dispositionem bonorum , à supra nominato Cardinale Pallotto , subinde die 17. Junii A. 1630. Apostolica etiam speciali , quâ in hac parte fungebatur autoritate factam , im posterum agnoscantur , ita ; ut amodo Venerabilis ipsorum Fratrum Augustinianorum Discalceatorum , seu Reformatorum Prior , ejusque Successores unâ cum deputatis Vicariis , Patribus , & Fratribus , Conversis , seu Novitiis , & Servientibus suis omnibus , præfata domum Regularem , & Ecclesiam S. Augustini Vienna juxta Palatum nostrum sitam , perpetuis futuris temporibus inhabitare , ibidemque pias ad DEUM preces fundere , ac alia Christianæ charitates officia , prædicando Christi Evangelium , & Ecclesiastica Sacra menta administrando , exercere , & tam fidelium , in his partibus degentium , animarum saluti consulere , quam etiam hereticorum , & aliorum peccatorum , atque infidelium conversioni operam præstare , non minus etiam pro sustentatione sua juxta normam , & Regulam sui Ordinis , seu Congregationis prescriptam , Eleemosinas tam hic Viennae ,

\*Quod illa condidit  
A. 1627.

\* Bul. Mar. tin. V. P. M. 1422. ¶

\* Bul. Ni. col. V. P. M. 1441.

\* Frid. IV. Imp.

quam

quād etiam in aliis nostris hæreditariis Regnis, & Provinciis, absque omni impedimento colligere possint, & valeant. Et ut dicti Fratres Discalceati, seu Reformati Augustiniani Omnipotenti DEO nostro tanto de votius possint famulari, quanto exterioribus curis, molestiis, & vexationibus fuerint absoluti, præfatam Domum Regularem, & Ecclesiam, ipsosque Fratres Augustinianos Discalceatos, unde cum omnibus Confratribus, aliisque personis, Ministris, & Servitoribus suis in nostram, hæredūmque nostrorum specialem tuitionem, & protectionem recipimus. Volentes eos ab omni violentia, invasione, & injuria gratiōe protegere, liberando, & eximendo illos, ac ipsorum prædicām Domum Regularem, seu Conventum, & Ecclesiam cum omnibus pertinentibus de presenti, vel futuris temporibus, ad illa spectantibus, vel spectaturis, ab omnibus gravaminibus, & molestiis, exactiōibus, impositionibus, teloniis, collectis, fleuris, censibus, ac demūm omnibus & singulis oneribus tam realibus, quam personalibus, civilibus, & militaribus, quae eis quomodolibet inferri, & imponi possent. Statuentes, & firmiter tenore præsentium præcipientes, ut hoc Monasterium, Conventus, & Sacra DEL domus, ac ipsi Fratres Augustiniani Discalceati, seu Reformati, eorūmque Ministri, Servitores, & Familia tota in omnibus, & per omnia universis, & singulis gaudeant, fruantur, & potiantur Privilēgiis, exemptionibus, libertatibus, juribus, prærogativis, immunitatibus, præeminentiis, ac beneficiis quibus alia Monasteria, & Sacrae Religiosorum Domus, & loca, DEOque Sacratī Viri, & Religiōi sub Regaliis in Monasteriis, seu Conventibus viventes, in Sacro Romano Imperio, & nostris hæreditariis Regnis, & Provinciis, ac Ditionibus gaudent, fruuntur, utuntur, & potiuntur, & quibus ante hanc ipsorum introductionem præfatum Monasterium, Conventus, & Sacra DEL Domus ipsique Fratres Augustiniani in eis commorantes, eorūmque Ministri, Servitores, & Familia tota, posiebantur. Ac insuper, ut quidquid de eleemosyna, aut aliis rebus in suorum sustentationem, ac totius Monasterii conservationem collegerint, & conquisiverint, id illis ubique locorum libere, tutò, & expeditè sine omni prorsus exactiōne, & quovis alio impedimento cedat, & permittatur &c. Mandantes proinde universis &c. &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrā gratiā paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumperit, cujuscumque dignitatis, & statūs existat, præter iram, & ulationem justi DEL vindicis, quam scire potest quilibet, ex alto contra violatores Sacrarum Domum provenire, etiam nostram, hæredum, & Successorum nostrorum gravissimam indignationem, & pœnam Centum marcarum auri purissimi, pro medietate nostro, hæredum, & Successorum nostrorum æario, reliquam verò partem præfati Monasterii usibus applicandam, se noverit incursum. Harum testimonio Litterarum. &c. &c. Data in Civitate nostra Viennæ Austriae die 22. Mens. Jan. 1631.

Nec Imperiali solum, sed & Apostolica Authoritate quieti, & tranquillitati Discalceatæ Reformationis consultum est; en Emi-

\* Archiv. nentissimi Cardinalis Pallotti hoc fine editum Decretum. \* Joan-  
 Conv. nes Baptista S. R. E. Presbyter Cardinalis Pallottus &c. Cùm nuper vigore  
 litterarum Apostolicarum &c. &c. Authoritate Apostolica quâ fungimur  
 omnibus & singulis tam Regularibus, quam sacerdularibus, cuiusque gra-  
 dus, statu, aut conditionis, & præcipue &c. in Virtute S. Obedientiae, ac  
 sub pena excommunicationis late Sententia ipso factâ incurrenda, aliisque  
 arbitrio nostro, & Successorum nostrorum, tenore præsentium præcipimus,  
 ac districte præcipiendo mandamus, ne sæpe memoratos PP. Fratres Discal-  
 ceatos reformatos in prædicta possessione dominus, & Ecclesia, pertinentia-  
 rumque ipsarum, Domorumque ipsi Ecclesie adhaerentium, nec non red-  
 dituum, proventuum illis pro servitio fabricæ authoritate Apostolica à no-  
 bis ad certum tempus assignatorum ullo unquam tempore, & quovis præ-  
 teoxtu, quæsito colore, vel ingenio, mediatè, vel immediate, vel direc-  
 tè, vel indirectè turbare, molestare, vexare, aut inquietare, seu tur-  
 bari, molestari, vexari aut inquietari facere audeant, vel præsumant,  
 seu quilibet ipsorum audeat, vel præsumat, nec minus contra PP. Discal-  
 ceatos Reformatos prænominatos, & contra nostram imò vero Apostolicam  
 dispositionem aliquid attentare, vel innovare. Requirentes in Domino  
 omnes, & singulos Dominos Sac. Cas. Maj. Officiales, & Ministros pro tem-  
 pore existentes, quatenus ad instantiam prædictorum PP. Discalceatorum  
 Reformatorum requisiti, in juris subsidim prædictos Reformatos à mole-  
 stiis, & impedimentis quibuscumque tueantur, protegant, & defendant,  
 ac in protectionem, & defensionem hujusmodi Brachio, & auxilio Curie  
 eisdem PP. adsint, assistant, & excurgant. Absolutionem autem omnium,  
 & singulorum, qui præfatam nostram Excommunicationis Sententiam in-  
 current, nobis, vel Summo Pontifici tantummodo reservamus. In quorum  
 fidem &c. &c. Dat. die 3. Julii 1630.

Hæc scripsimus, ut constet mundo; quâm arcto gratitudinis  
 vinculo Augustissimæ Austriacorum Principum Prosapiae adstrin-  
 gamur. Laudes nostrorum, quod intercurrant, dabunt amori,  
 quo quisque, à natura doctus, majores suos prosequitur. Nemini  
 insultamus, nostra nobis solum vendicamus. Quisquis rin-  
 gitur, næ ille genium suum prodit, quamcunque formam simu-  
 let; nollemus de illo verum fieri, quod Petrus Blesensis scripsit:

\* Petr. Ble-  
 sens. Ep.  
 97. Bibl. M.  
 SS. PP. To.  
 12. P. 2.

Invidiæ proprium est, laudem alterius suam reputare injuriam. \* Ista-  
 libus ejusdem Blesensis verba occinimus: Nihil vobis in eorum com-  
 mendatione detraxi; illos approbo, & vos laudo, ipsorumque titulos in  
 vestræ famæ præjudicium non erexi, Christus divisus non est sive in alba,  
 sive in pulla veste, - - attendit Dominus mentem non vestem, merita, non  
 colorem - - Ipsa varietas uniformitatis causa est, - Nemo graviter ferat  
 diversitatem ordinum, nam & in stellis ordo est. &c.

Sexenniō, limitibus unius hujus Cæsarei Asceterii, Patres se  
 continuere, donec nova Religiosorum hominum accessione aucti,  
 novas sedes respicerent; Primus, quem exquirebant, locus duo-  
 Vir. font. bus Viennâ lapidibus abest, illic vetus Ecclesia D. V. Mariæ Con-  
 proprieViē. solatrici Sacra, humilis quidem, sed magno, ob miracula ibidem  
 fre-

frequentia , populi accusu culta , de fontibus dicta , quod icon DEIparæ Virginis in fonte reperta sit. Beneficii titulō eam habuit Reverendissimus D. Laurentius de Arupps , Cathedra- lis Ecclesiæ Viennensis Decanus. Loci amoenitas , situs quieti ve- lut à natura factus eò invitabant, ut vel hic à turbis Civitatum li- beræ Tyronum mentes ascescos rudimenta combiberent , vel veterani se recollecturi illuc secederent. Itum ergo ad Cæsarem , sem- per beneficentissimum , cumque Beneficio suo renuntiasset supra- dijus Decanus , nobis possidenda publico instrumento confertur\* \* Archiv. Conv.

die 2. Febr. 1636. quod humilis , nec sati numerosi populi capax

esset vetus Ecclesia , nova designatur , primosque in funda-

menta lapides posuere August. Ferdinandus II. & Leopoldus Guili-

elmus A. A. Episcopus Pataviensis , marmori , quod Imperator

posuit seqq. insculpta sunt :

## D. O. M.

### D. Virgini Mariæ Consolatrici

de Fontibus

Ferdin. II. Aug. Rom. Imper. &c. &c.

Pro Ecclesia F. F. Discalc. S. Augustini

Primum lapidem collocavit

An. Chr. M DC XXXVI. die 1. April.

Ecclesia , cum Monasterio quadrienniō perfecta est , digna Austriaca Majestate , accessione Bibliothecæ non mediocris pretii , quam ultimis tabulis Reverendissimus D. de Arupps legavit , aucti , Tyrocinium etiam Religiosorum addidere. Verū invadentibus Austriam Ottomannis 1683. Ecclesia , Monasterium , Altaria , Sacer apparatus , Bibliotheca , sic conflagrârunt , ut soluta Vien- nensi obsidione non nisi muri , & hi flammis exesi , restarent , Thaumaturga imagine , non sine Tartarorum periculo , seculo loco , reposita. Subinde de ruinis in elegantem formam Tem- plum surrexit , munificentia potissimum Leopoldi M. Imp. Nostro ævo Venatores Cæsarei Sodalitium Patrono S. Eustachio M. insti- tuere , & splendidissimum Altare huic Sancto de nobilissimo mar- more , statuis ære fusis , auróque inductis , amplissimam sum- ptuum partem conferente Augustissimo Carolo VI. Imp. fieri FF. A Viennensibus , & oppidis vicinis hic pia Mater frequenter in- visitur , & gratias , non parca dispensat.

Labacensis in Metropoli Carnioliae Conventus , & S: aedes D. Monast. & Josepho Christi Nutritio dedicata ære Udalrici S. R. I. Principis ab Eggenberg , quod moriturus struendæ Ecclesiæ reliquerat , cui fi- lius Joannes Antonius tantumdem addidit , ædificari cœpit A. 1653. quamvis ab Anno 1642. quarta milliaris germ. ab Urbe diffito loco sedem fixissimus. Primum lapidem nomine Augustissimi Leo-

poldi Princeps ab Auersperg , Suprem. Provinciæ Præfectus in fundamenta collocavit , quam consummatam Ecclesiam superius dictus Augustissimus Imp. cùm occasione homagii à Ducatu Carniolæ præstigi Labaci adesset , invisit , ac translationi corporis S. Peregrinæ V. & M. interfuit , 1660. Habet adjunctum Sacellum & Confraternitatem Defunctorum , sic dictum , quod in eo suffragia pro animabus piaculari igne detentis statis diebus fieri soleant; Confraternitas Viennensi Cæsareæ , participatione Privilegiorum , juncta est. \*

\*Lustris  
ziali dell  
Scalzi A-  
gostini:  
Monast. &  
Eccl. S. Jo-  
an. Her-  
erstain. in  
Styr.

Annô 1654. Templum elegans S. Joanni Baptistæ Sacrum à Teutonico Ordine A. 1384. structum , nostris cedit. Adjunctum habet Calvariæ montem , Lauretanam ædem , & Sepulchrum Domini genuina Jerosolymitani illius imitatione expressum , quo tota ferè vicinia confluit. Fundatores veneratur Illustrissimos S. R. I. Comites ab Herberstain &c. &c. Hic Religiosi nostri fidelibus per montana dispersis , perpetua velut missione deserviunt.

Monast. &  
Eccl. B. V.  
M. ad Stel-  
lam in Bo-  
varia.

Annô eodem Taxæ in Bavaria Ecclesia B. V. M. ad stellam , loco inter Augustam Vindel. & Monachium mediò Provinciæ nostræ accedit. Famosissima ibi DEI paræ imago , multisque portentis celeberrima ab in numero populo colitur , cuius prototypon ovo gallinæ recens edito nitidissimè impressum , sculptor artifice scalpro imitatus est. In hæc usque tempora , voti nondum persoluti reis Gallinæ signata stellis ova enituntur. \* Ut omnia nostra Augustissimæ Domui Austriacæ deberemus , illa nobiscum ditiones suas egressa est , quandoquidem Ferdinandus III. & Eleonora Mantuana apud Mariam Annam Bojariæ Ducem Regentem , & Albertum Sigismundum , item Bav. Ducem & Episcopum Frisingensem egere , ut superatis , quæ grandes erant , difficultatibus Ecclesia , & struendo Asceterio spatium concederetur.

\*P. Abra-  
ham à S.  
Clara in  
Hist.

Annô 1655. Græcii Styriæ Metropoli domum amplam extra portam , quæ ferrea dicitur , Religiosorum nostrorum Romam commeantium , & ægorum è vicino Monasterio S. Joannis Baptistæ commodati , Provinciæ ejus Præfектus Joannes Maximilianus Com. ab Herberstain pretio comparat. De Monasterio erigendo cogitantibus , post tentatam alibi stationem , locus in fossa Monetaria obtingit. Primam pro fundamentis petram Imperatoriis manibus Leopoldus I. collocat , cùm Græcii despensa sibi Claudia Felice Duce Tyr. præsens adesset An. 1673. Ecclesia D. Annæ Christi aviæ consecrata est. En ea , quæ Nummo argenteo in fundamenta posito expressa sunt :

Christus supra primam petram ;  
Leopoldus I. Imperator Archidux Austriæ , Dux Styriæ ,  
Primæ Petræ hoc imposito numismate  
Ad gloriam D. Annæ

Ho-

Honorem Religionis , incrementum Ecclesiæ , & Monasterii hujus ,

Fundamenta jecit FF. Eremit. Discalc. S. Augustini  
1673. die 12. Octobr.

Alterò nummō sequentia exhibentur :

Primo angulari lapidi Christo JESU  
Illustrissimus & Reverendissimus D. D. Polycarpus ,  
S. R. I. Comes de Künburg ,  
Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Præpositus ,  
ac Archi - Presbyter

Hunc primum lapidem benedixit , & cum  
Sua Cæsarea Majestate Leopoldo Primo  
Unà posuit .

1673. 12. Octobr.

Annô 1696. Ecclesia & Monasterium Frattingense , Illustr. S. R. I. Comitibus de Berchtold , & Heisler initia sua , & incrementa debet . Templum S. Nicolai Tol. nomini insitum , quod bucellâ panis , in ejus festo benedici solita , igni , quod oppidum conflagrabat immisâ , prodigiô incendium consopitum sit . Annexum habet Sacellum Lauretanum : Monasterii nunc fervet , fabrica , juvante DEO , & Benefactoribus perficienda . Mandante Cæsare inque ejus , & Josephi Rom. Reg. vicem primi lapides jacti sunt An. 1699. per Illustrissimos D. D. Maximilianum Ernestum Comitem de Flasching , &c. &c. Et Franciscum Carolum Comitem de Berchtold , in Nummo aureo Imp. sequentia fuit legere :

benignitate , & gratia  
Cæsarls nostri AvgVstissimi  
Ita ordinante  
positvs est Lapls iste  
patribVs AvgVstInianIs  
In Fratting :

In Nummo itidem aureo Josephi I. Rom. Regis , & A. A.

pro gloriosa beatæ Virglnis  
& honore

sancTI NICOLAI à Tolentino ,  
positvs est Lapls hic ab AvgVsto Rege  
Josepho  
reformatIs religiosIs sanctI AvgVstini .

Monaft. S.  
Nico. Tol.  
Frattingæ  
in Morav.

**Monaft. &  
Ecclesia S.  
CrucisStrel  
læ inSilesia**

Annô 1698. Strellæ in Ducatu Silesiæ Ecclesia S. Gotthardi, quondam Parochialis, sed post defectionem hujus urbis ad Lutheri Sectam Accatholicorum usibus reliqua volente M. Cæs. Leopoldo die i. Nov. nostris confertur. Subinde ob angustias loci Monasterium vetus Monialium S. Clæræ, ab iis statim sub defectionis initia relictum; & seu casu, seu industriâ exustum cum Ecclesia nobis vendicamus, quæ magnificè apparata nunc S. Crucis dicitur, convertendis hæreticis, non segnem hic operam PP. navant, fructu laboribus respondentे.

His accedunt Conventus Regni Bohemiæ, chronologîæ quidem spectato ordine, superiore loco collocandi; at primariò quæ Viennensi à Conventu ductæ sunt, Colonias dare intendimus, hæc verò Monasteria, quæ à Pragensi Cœnobio suam cœperunt originem, hoc loco adjecimus:

**Toboriens.  
Monaft. &  
Eccl. B. V.  
nascentis.**

Annô 1640. Taborium, Regni Bohemiæ Urbem, à Senatu Civibusque benignè invitamur, subsidiariis beneficiis adjuti consente Ferdinando III. Aug. Ecclesiam, asceteriūmque molimur; quibus initium datum est An. 1642. die nascenti DEIparæ Sacro, cui etiam consecrata est Ecclesia. Cum annis templi nitor, & Familiae Religiosæ numerus mirum auxit.

**Teutobro-  
dense Mo-  
naft. & Ec-  
cl. B. V.  
JESU Mariæ  
Joseph.**

Annô 1675. Teutobrodensis Conventus P. Joachimo à Präf. B. V. per Germaniam & Bohemiam Priori Provinciali sua debet initia, hujus enim industriâ, precibúsque Leopoldus Imp. concessit Conventum cum Sacra æde fundari; jacta sunt fundamenta anni insequente, quæ piorum eleemosynis, & præprimis Serenissimæ Principis Piccolominæ munificentia ad fastigium perducta sunt, JESU, Mariæ, Joseph Sanctissimorum Nominum titulô, ac præsidio gloriantur.

**Schlüsselfb.  
Monaft. &  
Conv. SS.  
Triadatis.**

Annô 1688. Schlüsselfburgensis Ecclesia SS. Triadi consecrata Fundatores habet, Illustrissimum D. D. Hubertum S. R. I. Comitem de Czernin, & Illustrissimum D. D. Thomam, Huberti fil. Cùm enim Pater destinasset cuidam Mendicantium ordini eam Ecclesiam consignare, morte præventus filio rem exequendam reliquit. Thomas ergo cùm plures essent competitores, trium Religiosorum Ordinum nomina, inter quæ & nostrum erat, totidem Schedis inscribit, in urnam conjicit, tum SS. Triadi fit supplex vellet eos sorte educi curare, qui subditis suis ad salutem, & profectum, spirituale futuri essent utiliores. Prima quam prehendit Scheda Discalceator: S. Aug. nomine insignita erat, tentatum est vice altera, iterum idem nomen, tandem cùm tertia vice idipsum contigisset, Divinam voluntatem hanc ratus, Ecclesiam, ampliò Monasteriò adjecto, consignat. Cui Illustrissimæ Proslapiæ in hanc diem, ceu Clementissimis Fundatoribus, obstringimur.

His Cœnobii constat Provincia nostra Germano-Bohemica futura sanè amplissima, si oblata alias, ac alibi in variis Germaniæ par-

partibus acceptare per hominum penuriam licuisset ; nunc Au-  
gustissimo Ferdinando II. Introdutori nostræ Religionis gloriostis-  
simo, debitum gratitudinis vestigal pendendum est ;

## Eucharisticon,

*Augustissimo Invictissimo Rom. Imp. Cæs.  
Ferdinando II. Pio, Felici, Victori, AA. ob  
consignatam Augustinianæ Discalceatae Congregationi  
Basilicam Cæsaream Aulicam.*

Ferdinando Aug. Cæs. Pio Fel.

Nomine, re, Domui Suæ, nostræque Secundo  
Augustiniana reformata Religio,

Reformatus ad avitam fidem Orbis, Optimo Reformatori  
gratabundi applaudant.

Is

Carolô II. Archid. Austr. Duce Burgundiæ, Styriæ, Ca-  
rinthiæ, &c. &c.

M D LXXXVIII. IX. Julii

Inter alpes, montesque Græcii natus

Ut, vel lapides, triumphalibus arcubus  
olim merituro struendis haberet,

Vel animi Symbolum sui, cedere nescii, reperiret,  
Cùm omne ventorum regnum

\* Britannico, \* Balthico, \* Batavo maribus excitum

Imperio incumbebat;

Inter saxa gelū rigida adolevit

Ut illi asvesceret hyemi,

\*\* Britan-  
nia, Svecia  
Batavia à  
partibus  
Frid. Pal.  
stetit.

Quam subditorum cordibus sublaturus, aut Septemtrio  
illaturus erat;

Mox eo Principe in pœnitentes, vel lamentabiles aquas  
solvendæ.

Ferrea correcturus tempora,

Ferri feracem Styriam incoluit

Ferream quondam ætatem ferrea fortitudine evicturus

Virtute auream facturus.

Geminis his cardinibus volvi voluit fortunam suam,

I 2

Pon-

Ponderibus Virtutis libratam,  
Gravitate, eorum quæ ferenda sumpsit,  
Solidatam.

Et erat tali Rectore opus  
Cùm gemini orbis cardines; Pax, & Fides  
Tantùm non convulsi essent,

Hinc bono omine

Augustus Augusto mense dictus est\*

Augmentum Pacis, ac Religionis allaturus  
Die Augustino Patri sacra \* Imperator salutatus  
Præsagium fecit;

Discalceatæ Ejus Soboli

Vestigiis jam in limine \* fixis

Ad ipsa Imperatoriæ Basilicæ adyta ingressum  
Ejus auspiciis concessum iri.

Ità Princeps factus, regnandi ab eo sumpsit  
Principium, qui sinè principio est

Sanctuarii lapides fundamenta, aras Regnorum bases fecit,  
Religione subditos religavit

Non nescius;

Frustra quæri à Principibus juratam fidem,  
Quam superi non servatam queruntur.

Nunquam pejor Germaniæ status fuit,  
Si stetisse dicas casui proximam,  
Arbitraria fides, Religio ludibrium

Nisi quod seriis rebus

Defectioni, rapinis, bello, insons causa prætexeretur,  
Vidisses fidei non aliâs curios

Quam ut haberent, quô perfidiam velarent;  
Lege calcata, sinè Rege esse libuit,  
Vel sub tali

Qui scelerum tutor, non vindex esset  
Glaciei novus Rex impositus \*

Ut non mirere; novo vere diffuxisse imperium  
Sola impietate constrictum.

Ad album ergo montem configitur  
Ferro candidi lapilli deciduntur  
Signandæ æternis fastis victrici diei,

\* Frid. Pa-  
lat. vulgò:  
der Winter  
König.

Sanguine candor saxonum inficitur,  
Docturo perfidos erubescere, docturus hostes pallere.  
Obstructam ad Thronum viam  
Alter Hannibal acetii, atque ignis vice, inimico cruce  
Aperuit.

Cruce, quam Exercitui præferri voluit,  
Velut trabali clavo, volubilem fortunam fixit;  
Crucifixo Imperatore securus Victorix  
Ab eo

Et tesseram, & Pæan victoriosum audiit:  
Ferdinande! non te deseram.

\* vita Imp.  
Ferd. II. id.  
Germ. Vi-  
ennaæ edita

O bellum sinè antiphrasi bellissimum!

Ut victo talis esset Parca

Capiti male metuens, pedibus debuit,  
Assecuta est tamen pede pœna clando.  
Sed non uno hoc, hostis, periculo,  
Periculum fortitudinis ejus factum est

Omnium amorem meritus, plurimorum odiis exagitabatur,  
Ut plures essent, quibus vel parceret, vel quos vinceret;  
Britannia certè, Batavia, Dania, Svecia, Gallia, Heterodoxi Germaniæ Principes

Discordibus cæterà animis, eversuri Ferdinandum, concordabant,

Vicit tamen, minor manu, causâ melior  
Durlachium ad Wimpeniū, Brunsvicensem ad Höchstam  
Danum ad Lutram, Svecum ad Lüzenam,  
\* O profuturus sic semper noceat livor!

\* Eman.  
Thesaur.

Manubias testes Victorix

Annulum signatorium Gustavi cæsi manibus detraxit

Et lauro \* Virgineæ \* appendit;

Ut suas has domi celebraret Victorias,

Festivos ignes, libros hæreticorum, accedit,

Tartaro natos ad natales flamas remisit,

Tenebrionum somnia sororiis tenebris transcriptis,

Plus quam sumos Atavorum imaginibus

Hoc sumo clarus,

Ita qui sumum olim mundo obtrusere \*

Fumo mulctati sunt,

\* Mos. Ro-  
man. tro-  
phæa ad  
arbores e-  
rigeret Lips.

\* Annulum  
B. V. Lau-  
retanæ Vi-  
ennaæ Do-  
num ded.

\* Traj. Im-  
Impostorë  
sumo suf-  
focari iul-  
sit, & per  
præconë  
clamari:

sumum  
vendidit,  
sumo pe-  
nitus.

Hic ille est fidei Zelator Maximus,  
Religionis tutelaris Angelus,

Qui

Christum Europæ, Europam Christo afferuit  
Qui

Plurima DEO struxit inanima, centies mille \* animata  
templa Redemptori reconciliavit,  
Immensos inde labores exhausit,  
Nunquam animo exhausto,

Si sudores non sufficerent, suffecturus & Sanguinem,\*  
Raram sic posteris Principibus felicitatem reliquit,  
Ut quos malos ille repererat subditos

Bonos factos illi haberent.  
Vindicatam superis Germaniam  
Metam votorum suorum vidit,  
Hinc vita metam plaudens ingressus est  
Hærede Virtutis, & Imperii Ferdinando III. Filio relicto  
Annô Chr. M DC XXXVII.

Princeps  
Aris quas condidit, quas defendit dignissimus imponi,  
His gratabunda advolvere,  
Eremitana Discalceata Religio:

Per Eum non una Civitate donata,  
Sciat meritissimò testimoniò mundus:  
Illi primas sedes, illi Colonias omnes à nobis deberi  
Nec adhuc in comperto esse:  
Patronumne Clementissimum, an Patrem Dulcissimum  
appellemus?

Eadem certè secum Domo  
Ceu Domesticos, ceu Filios complexus,  
Tenerimè ultra quam Pater,  
Fovit, & favit.



Sacel.

*Sacellum Lauretanum per Eleonoram  
Mant. Ferd. II. Conjugem conditur , Corda de  
Augustissima Austriacorum Familia in eo reposita. Sa-  
cellum , & Confraternitas Defunctorum per Ferd. II. & Eleon.  
Conj. instituta.*

**S**acellum Lauretanum , quod in navi Basilicæ Cæsareæ , velut Palladium , & locus refugii , tum Augustissimæ Domui , tum universæ urbi colitur , fundatricem habuit Eleonoram Rom. Imp. Hungariæ , Bohemiæ , Croatiæ , Sclavoniæ Reginam AA. natam Ducem Mantuæ , & Montis Ferrati &c. &c. Ferdinandi II. Aug. secundam Conjugem . Ut ad amissim Sacræ illi in agro Piceno Angelorum manibus collocatæ Domui similis conderetur , An. 1624. tres Architectonicæ peritissimos ed ablegat , quorum industria , oculari inspectione , accuratissima dimensione Nazaretana illa ædes , tot olim tantisque mysteriis plena , tot nostra ætate portentis divinitiū ibi patratis clara , designata est , quam dein felici imitatione Viennæ intra muros Cæsareæ Ecclesiæ perfecere . Ad fastigium perductam Beneficentissima Fundatrix aurô , argentô , gemmis , vestibus , coronis , aquila grandi meris gemmis composita adornavit , perpetuaque fundatione constabilivit , instrumentô , quod in hunc finem die 11. Sept. 1627. manu , Sigillique Imperatoriis firmavit . Die 12. Sept. ejus anni Sacellum statis Ecclesiæ ritibus per Eminentissimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Principem à Dietrichstain Episcopum Olomucensem consecratur , quo subinde effigies Lauretanæ Virginis , ab eodem benedicta , in per- Vigilo nascentis Salvatoris collocata est , Cæsare , Augusta sobole , Aulaque tota ad hæc solemnia confluente . Crates , geminâs que portas quibus pròprio ad thaumaturgam iconem introitus argentea fieri ultimis tabulis jussit : Susanna Ver. Com. Trautsohn , per hæredem ejus Franciscum à Trautsohn , Sac. Rom. Imp. Comitem plurium millium impendiis perfecta . Subinde , ut augustiore throno Virgo DEIpara collocaretur , Augustinus Argumenti Cæs. Com. Palatinus , illum , ut & armarium ad latus Altaris dextrum argentô vestivit , additis ex eodem metallo , quatuor Angelorum simulacris , quorum bini pendulam supra Marianum verticem coronam sustinent , bini ardentes ceras ad pedes ejus Virginis gestant . Urbanus VIII. Pont. Maxim. indulgentiis plenariis , iisque perpetuis in singula DEIparæ festa decoravit , quô sic ad pietatem illectus populus frequentior accurseret , & aliorum exemplô devotionis terror multorum cordibus inderetur . At vicit omnem expectationem , Viennensem pie tas , quando cum Principibus subditi , pulcherrima æmulatione , contenderunt , quis cultu ejus ædis , illius simulaci quâ immo-

Instrum.  
Fundat Sa-  
celli Laur.  
per Eleon-  
oram Aug.

1627.

talis DEus, artus mortales indutus est, præcelleret. Certè Ferdinandus II. seu eundum in hostes seu, quæ ingruabant, adversis obviandum esset, his aris advolutus, hic propitiū sibi Numen deprecatus est, hanc Archistrategam, hanc Imperatricem Exercitūs sui dixit, hanc Tutricem justissimæ suæ causæ advocavit, nunquam aut spe, aut votō frustratus. Eadem Ferdinandi III. pietas, eadem Ferdinandi IV., Leodoldi M. Josephi glor. mem. Impp. mens, qui vel stabiliendo Imperio sobolem, seu suis ægrotantibus valetudinem, peregrè abeuntibus incolument reditum, vel belli felicem eventum impetraturi, hoc loco auspicalia fœcunditatis, valetudinis, boni eventū, Augustorum Hymenæorum \* sacra peregerunt. Potissimi de Augustissima hac prosapia ad has aras desponsi sunt, hic recens nati Principes altari impositi ab Augustis Parentibus, DEQ., DEI paræque consecrantur. Majorum vestigia secutus Carolus Augustus, quotannis eo die, quo dictum Virgini ab Angelo Ave recolitus Augusta Familia, Equitibus Aurei Velleris, majore Ordinis cimelio insignibus comitatus, Mariam salutat. Augusta Conjux pretiosis vestibus usui Sacrificantium paratis, amorem suum testata est. Nec minor reliquæ nobilitatis, nec minor populi in D. Matrem affectus; Testantur hunc donaria, anathemata aurea, argentea, annuli pronubi digitis Virginis inserti; Sed vinci se illa non patitur, hinc tot recuperatæ valetudinis, pulsorumque morborum testimonia, vel picturis, vel argentō expressa, sic, ut passim seu in animi, seu corporis necessitatibus ad hanc Thaumaturgam eatur. Joannes Rex Poloniæ soluta obsidione, quâ 1683. exercitu Turcico Vienna premebat, nihil prius à pugna habuit, ac lauros quas illi genti extorsit, Lauretanæ Virginis pedibus adsternere, ipse verò, gaudii, quod animo gerebat ferendi impotens, solemnem illum, & Eucharisticum Augustini, & Ambrosii hymnum Te DEUM laudamus in hac æde inchoavit, à Belli Principibus dein, & Exercitūs ductoribus cum eodem decantatum. Nullum bellum, nulla pugna depugnata est, ubi manubias Viætrix Austria ab hoste tulit, quin non pars aliqua militarium Signorum, ad hanc S. Domum depangenda, à Principibus deputetur, hinc tholus vexilis Sveci, Galli, Perduellium, Ottomannorum coronatus. Hinc Ferdinandus II. Opt. mem. Princeps annulum, quem dígito, cum in pugna Lüzensi cæderetur, Gustavus Adolphus R. Sveciæ gerebat, additâ catenâ aureâ thaumaturgæ huic imagini appendit, & ei, quæ hostibus terribilis est, ut castorum acies ordinata sacram fecit, memoræ causa sequentibus laminæ aureæ insculptis: Diesen Ring hat gehabt Gustavus Adolphus König in Schweden / so den 16. Nov. 1632. in der Schlacht bey Lüzen von der Räys. Armatur geblieben.

Expectabit, ut opinamur, B. Lector, ut donaria, ut tabellas acceptorum intercessione Virginis, beneficiorum testes, ut cyme.

\* Vide Le-  
tor infrā  
cū de hy-  
menæis  
Augg. age-  
mus.

cymelia singillatim lustranda exhibeamus , at , brevitati studemus . Hinc gemmas , hinc donaria , de quantumcunque pretioso metallo missa facimus , sed pretiosissima illa præ gemmis corda , ad pedes DEIparæ Lauretanæ defossa , recensebimus , quæ quoniam præter diem , horam , annūmque mortis nūl inscriptum in thecis , quibus conduntur , habent , nos paulo ubiores , æternæ ejusmodi Principum memoriæ , erimus . Consuevère Austriae Principes , quō vel post funera suam in DEum , ejusque Matrem pietatem palam facerent suorum corda , in æde Laurétana ad pedes cœli , mundique Dominæ condi curare . Huic rei crypta in interiore ædis parte visitur , quæ marmore interius incruxata corda ejusmodi argenteis , ac auro obductis thecis servata , complectitur . Superior pars lamina ferrea prægrandi , cæmento , marmore dein superimposito tegitur , nec aliud accedendi modus , quam revulsis ferro , & lapidibus , cum reserari opus est . Cum dies atra ingruit , quâ digni æternitate hujus stemmatis homines fato cedunt , nostri muneric est , partitis horis , defunctorum corpori assistere , usque in eam diem , quâ sepulturæ mandantur . Corpus solitæ Austriacorum Principum sepulturæ in Ecclesia RR . PP . Capucinorum , exta Metropolitanæ D . Proto - Martyris Stephani Basilicæ , cor Lauretanæ Domui , & Templo Cæsareo cedit . Nunc ipsa eō , quō condita sunt , ordine recensemus :

Primum , sed omnium expectatione celerius , Ferdinandi IV . Cor Ferd.  
Aug . Rom . Regis A . M . DCLIV . die 10 . Julii illatum est , pridie IV . Aug .  
extincti . Thecæ sequentia inscripta : Cor Ferdinandi IV . Rom .  
Regis qui obiit 9 . Julii 1654 .

Viatör !

Cor prorsùs aureum argenteo loculo

Ad pedes Virginis

Quo se vivum depositus , à funere deponitur

Ferdinandi IV . Rom . Reg . Aug .

Felicem illi resurrectionem ominare

Ejus deposito

Per quam factum est ; ut feliciter mundus resurgeret ,

Idem mortui , quod viventis negotium est :

Mariam amare , Mariæ adsterni .

Annō 1662 . die 20 . Novembr . Serenissimus , & Reverendissimus Leopoldus Guilelmus Episcopus Olomucensis , Passaviensis , Argentinensis Archi-Dux Austriæ diem extremum obit , ejus cor altero à morte die per Joannem Adolphum Sac . Rom . Imp . Comitem Schwarzenberg &c . ejus Aulæ Supremum Præfectum solitis ritibus tumulandum defertur .

L

Leo-

Leopoldus Guilelmus  
AA: Ferdinandi II. Aug. Fil.  
Passav. Olomuc. Argentoratensium  
Præsul , & Pastor  
Inter Lilia pastus , inter Lilia nobiliore sui parte  
collocatur ,  
Thalami cùm viveret expers , Virgineo tumulo  
conditur  
Obiit M DC LXII. XX. Novembr.

Cor Mar-  
garit. Hisp.  
Inf. Leop.  
M. Conj. Annô M DC LXXXIII. XIII. Martii Margaritæ Hisp. Inf. M.  
Leopoldi primæ Conjugis pridie fato fundæ Cor reliquis appo-  
nitur.

M. S.

Lapidem sepulchralem ne quæsieris !  
Gemma est , quæ conditur , non conchæ  
Sed Margaritâ olim condita  
Cor Margaritæ Augustæ Leopoldi C. Conj.  
Cœlum , non tumulum hoc loco credas ,  
Ubi vivam pedibus substratam vides Margaritam ,  
Vivit certè , & spirat  
Amorem Marianum.

Cor Eleon.  
Conjug.  
quondam  
Ferdin. III. Annô M DC LXXXVI. die VII. Decembris , Cor Eleonoræ  
natæ Ducis Mantuæ , & Montis Ferrati &c. Ferdinandi III. quon-  
gam Conjugis altero ab obitu die , pyxide argentea clausum , se-  
peliendum in Lauretana crypta , delatum est.

H. S. E.

*Cor Viduæ \**

Eleonoræ Mant. Ferd. III. Ol. Conjug.  
*Vestigium boni cordis* \* à teneris secuta  
*Ascensiones in corde suo* \* meditata  
Ad vestigia MARIAE perfecit ;  
Corde perfecto \* vixit  
Ultimis deinùm tabulis

Virginem Filiūmque *Possessores cordis* \* scripsit.  
Hæredes cordis , Coronæ hæredem fecere  
Hanc capessitum  
Abiit , & obiit.

Cor Marie  
Antoniae  
AA. Ducis  
Bavaricæ. Annô M DC LXXXII. XXIV. Decembr. Maria Antonia  
AA. Leopoldi I. Imp. ex Margarita Hisp. Fil. Bavaricæ Electori nu-  
pta,

pta , bimestri post enixum Principem ad superos abiit, cor Sa-  
cello Nazarethano reliquit ,

Maria Antonia

Leopoldi Magni Filia

Max. Emm. Electoris Boj. Conjux,

In pervaigilio nascentis Filii Virginis M DCLXXXIXII.

Genethliacum munus

Cor suum

Puerperæ Virgini , nato DEO homini

Ipso ejus natali die hic obtulit ,

Felix Viator es ,

Si ita excors es.

Annô M DC LXXXVI. die XXIX. Septembr. Mariæ The-  
resiae AA. duodecennis , & An. M DCC III. 18. Aprilis, Maria Jo-  
sephæ itidem AA. Corda solito more conduntur.

Corda At-  
chiducum  
Austr. Ma-  
ria Theres-  
iae, & Ma-  
ria Joseph.

Non tumulum , sed aram Innocentiae

Hic venerare

Innocentum Principum Mariæ Theresiaz

Et

Mariæ Josephæ Leopoldi M. Fill.

Corda hic sita sunt

Ad regios mortalium Hymenæos prætensa

Immortalis vendicavit

Sibi fatô despensa

Abi Viator

Non tumulum , sed thalamum vidisti ,

Pronuba Mater , filii Sponsas sua æde hic  
habet.

Annô M DCC V. V. Maji , æterno orbis Austriaci luctu de-  
nasceatur Leopoldus I. Imp. rebus gestis Maximus. Cor ejus ma-  
jorum suorum , & Sobolis cordibus VII. ejus Mensis additur.

Cor Leop.  
M. Imp.

Hac sub lauro

Laurearum saturum Cor Leopoldi M. Imp.

Victorias meditatur.

Hic vivens illud effudit ,

Hic laurorum fementem jecit

Quam bellis Gallico , Ottomanico demessuit.

Vin' testimonia ?

Tholum Iustra manubiis coronatum.\*

L 2

\* Alludit  
ad Signa  
Militaria  
huius. Aedi-  
appensa.

An-

Cor Jose-  
phi I. Ro-  
man. Imp.

Annô M DCC XI. XVII. Aprilis funesta dies erat, quæ Josephum I. Rom. Imp. annos XXXIII. natum in pleno Victoria- rum meridie mundo exemit. Cor, & linguam nobilissima Augusti corporis membra DEI parenti Lauretanæ à morte sacra voluit, communi Austriacorum cordium tumulo die XIX. ejusd. mens. illata :

Hoc parvulo loculo  
Magnum clauditur expers vitæ  
Vitæ Principium  
Cor  
Josephi I.  
Augustissimi Romanorum Imperatoris  
Qui natus orbi  
MDC LXXVIII. die XXVI. Julij  
Variolis extinctus cœlo vivere incœpit  
M DCCXI. die XVII. Ap. hora decimam inter &  
Undecimam media ann. æt. agens XXXIII.  
Nihil hic Viator de cineribus cogita  
Immortalia Principium corda sunt  
Quæ Pollinctorum vice subditorum lacrymis condiuntur,  
Præcox fatum ne accusa,  
Et breve vitæ tempus  
Nihil ille temporis debere voluit,  
Plurima illi debet tempus.

Hi magni sunt cineres, & grandes Principum reliquiæ, quæ Pietatem Austriacam in DEUM, ejusque Matrem sole clarius ostendunt. Sola Immortalitas huic Domui deficit, quam cum mortalis mortali advovere non possit, id unum precamur: Serum fatum, nec tam vitæ præsentis tardissimum finem, quam initium inter Cælites melioris. Suas sibi etiam laudes exigit Laurentanæ ædis Augustissima Fundatrix, Religionis nostræ Discalceatæ grande præsidium, & ut verbô dicamus, in omnem vitam Optima Parens. Cor illa quidem suum, cum corpore, quod ab obitu intactum servari testamento cavit ad Augustos Mariti cines res Græcii, Metropoli Styriæ, deponi jussit, omne tamen cor cum viveret, huic Sacræ Domui impedit. Compendiarium habe Lector, ejus encomium :

Eleonora Rom. Imp. nata Dux Mant.  
Et Montis ferrati  
Ferd. II. Aug. Conj. Ferd. III. Mater, Ferd. IV. & Leop. I.  
Avia

Ultra

Ultra fœminam , ultra hominem propè  
 Prudentia , affabilitate , Zelo , Beneficentia , Religione  
 Constantia , Pietate , Patientia excelluit  
 Prudentiam in agendis dexteritas ,  
 Affabilitatem conversatio ,  
 Zelum Fœlesia  
 Beneficentiam lacrymæ pauperū extinctam desiderantes ,  
 Religionem aræ , & cœnobia  
 Constantiam superata adversa  
 Pietatem Cœlites , Patientiam morbi commendârunt .  
 Compendiō idæam Summæ Principis vidisti  
 Imperii rudimenta , quo destinabatur , à se ipsa condidicit  
 Ad solium secunda Conjux à Ferdinando II. vocata  
 Majestatem demissione oppressit ;  
 Unum finem Imperatrix habuit  
 Non orbi Imperare , sed servire .  
**Augusto** Conjugi etsì superstes , cum Eodem mortua est ,  
 Ad ardua solùm revixit  
 Cùm tempori subderetur , laboris omnigeni vernam se  
 fecit ,  
 Quietem æternitati servavit .  
 Aulam , & Urbem virtutibus implevit ,  
 Illam Exemplis , hanc structis amplissimis cœnobiis ,  
 In ea , & miseros tam protusæ liberalitatis ;  
 Ut voluntas quidem , non census suppeteret .  
 His passibus æternitatem affecuta  
**Quod** temporaneum habuit fato , & tempori  
 Reddidit  
 Virtus cœlo recepta est .  
 Ed abiit  
**XXVII. Junii M DCLV.**  
 Cor mortuæ Viator , hic ne quære  
 Totum , cùm adhuc viveret , Lauretanæ huic ædi  
 impendit .

A tristi Austriacorum cordium conspectu , ad funebrem De-  
 functorum ædem progrediendum nobis est , sic diætam quod pe-  
 ragendis piacularibus Sacris in mortuorum salutem , & Sodalita-  
 ti huic intentioni institutæ deputata sit . A Ducibus Austriæ præ-  
 primis Ottone II. & Equitibus Militaris Ordinis S. Georgii condi-  
 M tam

Sacellum  
Defunctorum.

tam fusiā pagina 5. diximus , quo ordine imminuto sic ut ne  
 memoria illius superesset , Confraternitati Defunctorum à Fer-  
 dinando II. , & Eleonora Conjuge designatæ , sed per Filium Suc-  
 cessorem plenariè institutæ , attributa est. Scopus hujus piæ Con-  
 fraternitatis est , animabus fidelium in purgatorio illo igne opem  
 ferre , quare singulis secundis feriis majora Sacra , à prandio  
 Lytanias , exposito Augustissimō Altaris Sacramentō inter concen-  
 tus Musicos haberi curat , primis insuper cujusque Mensis Lunæ  
 diebus Officium Defunctorum ad morem Romanæ Ecclesiæ per-  
 solvere consuevit. Commemorationem fidelium Defunctorum  
 titularem diem habet , octiduana dein devotione purgatorii ani-  
 mabus succurrit , bina ad hoc in singulos dies exhortatione , vi-  
 ventium animos accendens. Extremō suppliciō affectos , olim  
 profanō loco sepeliri solitos , sibi Eleonoræ Mant. Aug. intercessio-  
 ne vendicavit hoc Sodalitium , quibus solius Christianæ charita-  
 tis impulsu extremum misericordiæ opus , sepulturam , impen-  
 dunt. Utuntur autem Confratres hac occasione , uti & publicis  
 in Supplicationibus , aut cùm funus eorum , qui de gremio Con-  
 fraternitatis sunt , deducunt , atra veste ad talos usque deflua ,  
 caput undique tecti , quō oculis aspectantium hominum eorum  
 pietas , humilitatis studiō , subtrahatur , palliō coriaceō hume-  
 ri teguntur , cuius dexteræ aquila Imperialis , Sodalitii insigne ,  
 appensum est. Ferdinandus II. cùm viveret , ut supra dictum ,  
 cum Eleonora Conjuge ejus institutionem meditabantur , illō  
 morte præventō Ferdinandus Fil. executus est. Ad hujus siqui-  
 Bulla Urb. dem instantiam Urbanus Pontifex Max. Bullam largitus , quâ piam  
 VIII. An. hanc mentem multis collaudatam , institutione Sodalitii in effe-  
 1643. die 18, Febr. ctum deduxit , amplissimisque gratiis , & Privilegiis decoravit.  
 Eodem insuper anno Romæ Archi-Confraternitati , mortis dictæ ,  
 participatione Privilegiorum , Jurium , Indulgentiarum per Hyp-  
 politum Aldobrandinum S. R. E. Cardinalem tit. S. Eustachii ,  
 ejus tum Protectorem , unita est , subinde Statuta , Officialésque  
 additi ; Insuper Philippus Fridericus Episcopus Viennensis S.R.I.  
 Princeps primus ab Augustissimo Ferdinandō III. Rector renun-  
 tiatus est , Diplomate sequente , quo se Successorēsque suos per-  
 petuos Protectores fecit : \* In Nomine Domini Nostri JESU Christi ,  
 Amen. Annō à Nativitate ejus millesimō sexcentesimō quadragesimō tertio ,  
 Pontificatus SS. Domini Urbani PP. VIII. vigesimō , & Imperatoris Ferdi-  
 nandi III. Regnum Romani septimō , Hungariae decimō octavō , & Bo-  
 hemiae sextō , die vero decimā octavā Mensis Decembris , Sacr. Cæs. Re-  
 giaeque Majestas Ferdinandus III. , & Augustarum Mariae , Eleonore , nec  
 non Serenissimus Arcbi-Dux Leopoldus Guilelmus Protectores Confraterni-  
 tatis mortuorum nuncupatæ , in Ecclesia FF. Discalceatorum S. Augustini  
 Viennæ Austriæ electæ nominarunt , & elegerunt , nominant , & eligunt ,  
 in Praefectum prædictæ Confraternitatis : Excellentissimum , & Reveren-  
 dissimum D. Philippum Fridericum Episcopum Viennensem S. R. I. Princi-  
 pem ,

Diploma  
 Ferd. III.  
 Aug.

pem, & in Vice-Praefectum Illustrissimum D. Georgium Achatium Comitem à Losenstain, Marecallum Austriae Inferioris &c. in quorum. Ferdinandus. Maria. Eleonora. Leopoldus Guilelmus.

Ut verò peculiare signum, specialis illius Protectionis, quā Confraternitatem Augusta Domus dignata est, in futuram æta- tem haberet, insigne; Imperiale Aquilam, attribuit. En illius partem Diplomaticis hac super re editi \* Als haben Wir die Confraternität / und Bruderschaft unter den Titul der Abgestorbenen in obberührten Gottes-Haus und Closter der reformirten Augustiner althier / als derer Verdienst / Fürbitt / und guter Werken Wir / samt unseren gesamten Löbl. Erz-Haus Österreich durch die Gnade Gottes auch theilhaftig zu werden verhoffen / so viel Uns dabey gebühret / und zustehet / auch gnädigst beliebet / wo von nöthen von neuen erhebet / gestift / gewidmet / und aufgerichtet / dieselbe auch samt allen einverleibten Mit-Brüdern / und Schwestern in Unsere Kayserl. Königl. und Landsfürstlichen sonderbaren Vorspruch / Schutz / Schirm und Protection gnädigst an, und aufgenommen / sc. sc. Und damit berührte Confraternität / und Bruderschaft zu Verfertigung ihrer etwo nothwendigen Schriften, Sachen / und Handlungen / sich eines gewissen Insignis / Schild und Wappens zu gebrauchen / so haben Wir dero selben nachfolgendes Kleynod / mit Nahmen einen gelben / oder Gold-farben Schild / in welchen zu mehrer Bekräftigung Unseres Kayserl. Schutzes / darein Wir Sie genommen / und empfangen Unser Kayserl. aufgebretter doppelter Adler / mit der Kayserl. Cron gezieret erscheinet / in dessen rechten aufgethanen Flügel Unsers Hochgeehrten Herrn Vaters glorwürdiges Nahmens Ferdinandi erster Buchstaben F. mit beygesetzter Zahl II. in gelb / oder Gold-farben Farb / den in den andern Flügel dessen Gemahlin Nahmens Eleonoræ erster Buchstaben E. geschrieben stehen / zwischen den Füssen / oder Waffen aber ein etwas fürwerhs gefehrter Todten-Kopf sc. gnädigst ertheilet / und gegeben / ihnen auch dasselbe hinsührō jederzeit in allen vorsal-lenden Sachen nach ihren Ehren / Nothdurften / Willen / und Wohlgefallen also zu führen / zu gebrauchen gegönnet / und erlaubet.

Sic constabilitæ huic Sodalitati omnes haec tenus Augustissimæ Domus Principes Sua nomina dedere, Summatibus, cum plebe exempla lequentibus, quō factum est ut Protectoribus Cæsaribus, Rectores & Officiales potissimum Principes, Comites, Nobilesque haberet. Primi sub initia huic Congregationi præsentant: Rector; Celsissimus S. R. I. Princeps & Episcopus Viennensis Philippus Fridericus, Pro-Rector Excellentissimus & Illustrissimus D. D. Georgius Achatius à Losenstain, S. R. I. Comes, Marecallus Inf. Austriae. Assistentes: Excellentissimi D. D. Guilelmus Comes Slavata, & Joannes Franciscus Comes à Trautsohn. Consiliarii, Excellentissimi Domini, Domini Leonardus Comes ab Hatz-

Diploma  
Ferd. III.  
An. 1643.

rach, Georgius Comes de Martiniz, Maximilianus Comes de Wallenstein, Reverendissimus D. D. David Gregorius Abbas Gottwicensis, Illustrissimi D. D. Maximilianus Comes à Lamberg, Johannes Adolphus Comes à Schwarzenberg, Joachimus Comes Slavata, Ferdinandus Ernestus Comes de Wallenstein, Henricus Baro de Montrachier, qui Confraternitatem munificentia, & beneficiis singularibus auxere, & ornavere. Rectoratu subinde, posteriore ætate functi sunt, Excellentissimus S. R. I. Comes Johannes Franciscus à Trautsohn, Ernestus Comes ab Abensperg, & Traun, Antonius Ernestus de Gründemann, & Falckenberg, Paulus Sixtus Comes à Trautsohn, Johannes Balthasar Comes ab Hoyos, Ernestus Episcopus Viennensis S. R. I. Princeps, Christophorus Ignatius Nobilis Dominus de Guarrient & Raall, Carolus Josephus Sauber, à Sauberskirchen. Nunc, electione unanimi præest Sereniss. Princeps, ac Dominus, Dominus Frobenius Ferdinandus S. R. I. Princeps à Fürstenberg, Landgravius Baariensis, & Sthulingensis, Comes de Heiligenberg, & Wertenberg, Baro in Gundelfingen, &c. &c. Sac. Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius actualis intimus, Aurei Velleris Eques, & ad Comitia Imperii Ratisbonæ Principalis Commissarius, &c. cui vitam, longævum regimen, & sœcularem Sodalitatis Præfeturam, Antecessoribus verò vitâ functis, Patronis munificentissimis, æternam felicitatem advovemus. Nos ad ipsam Cæsaream S. Augustini Basilicam regrediamur.

**Præsen's Basilicæ Cæsareæ status, Altaria,  
eorum conditores, Sanctorum reliquiae, Aulæ  
Imperatoriæ Solemnitates agi solitæ, Augg. Hymenæi; qui-  
bus S. R. E. Cardinalibus Purpura, Aurei Velleris Equitibus torques Au-  
gustiis manibus in ea Ecclesia sint imposita, quibus de Prosa pia Augu-  
stissimæ Domus publicis exequiis sit parentatum.**

**T**ria jam sœcula, à structuræ initio, Basilica Cæsarea numeravit, quemadmodum suprà dictum est, eaque semper functionibus Sacris Aulæ Imperatoriæ deserviit, cùm in eam Augustiniana Discalceata Reformatio introduceretur; de priore ævo

\* In Alph. Augustin. Herrera: \* Fuit semper hæc aedes Principibus Austriacis chara, habitaque pro Capella Romanæ Majestatis, dum Imperium illis stetit. Christophorus Patavinus \*

In Regis. 1555. \* Paulus Milensis \* Viget Monasterium Viennense etiam hodie præsidio piissimorum Principum Austriacorum, ut domestica eorum Basilicæ, quo, per extensem ab aula simulacrum conjunctum ædibus Sacris ad divina commeant. Quinque duntaxat instructum erat Altariis, quæ & ipsa vetustate laborabant, muri, quô locô nunc Sacella,

cella, & aræ spectantur plani, pavimentum, vel subsidentibus, post arcas putredine absumptas, mortualibus lapidibus, vel plus justò eminentibus inæquale, & tantùm non cavernosum, Oratorium Cæsareum & ipsum vetus, ab extremis Sanctuarii lateribus transversim collocatum, sic, ut omni majoris aræ intuitu existentem in inferiore Ecclesiæ parte, populum prohiberet, turris altitudine sua vix te&tum æquabat. A reformando ergo Ecclesiæ cultu sumptum initium, muri perrupti, & structis forniciis in Sacella aptati, Oratorium Cæsaris ad latus Sanctuarii dexterum collocatum, pavimentum se&tto marmore stratum, translatis aliò sepulchralibus saxis, quibus minus planum, & inæquale reddebat. Res tota Magnorum Cæsarum auspicias, atque Augustissimæ Domus munificentia, tum subsidiariò Principum, Comitum, reliquæque Nobilitatis beneficiò, confecta est, quô factum, ut Altaria numero octodecim splendida, & suis digna conditoribus in Majori, quatuor in minore Defunctorum Templo cernantur.

à Principe ara principium sumamus, daturi cæteras eo ordine, quô collocatæ visuntur. Majus igitur Altare per Ferdinandum III. Aug. nondum Roman. Reg. honoribus D. Patris Augustini, cui & vetus Sacrum erat, fieri iussum est, elegans illud, & ejusdem cum Sanctuario altitudinis, ligneum quidem & aro colore imbutum, at copiosò auro interstinctum, in Summitate DEI paræ Virginis, tum ordinis Augustiniani Pontificum, Cardinalium, Episcoporum simulacra in lateribus exhibit. Pictura in medio collocata artificiò, pretiisque insignis Augustinum nubibus sublimem, sui instituti sequacibus, & inter Divos relatis cinctum, subtus eos Ordines, seu Monasticos, seu Militares sub ejusdem Regula militantes exhibit, sic, ut genuinas Illustrum Virorum effigies penicillus assequeretur. Integra fabrica octo millium florinorum impendiis stetit, celebri pictori Steinmüller dicto, mille octingenti Imperiales Rhenani persoluti sunt. Primas ad hanc aram hostias MDCXXXV. ipso D. Patris Augustini festo sacer mystes litavit.

Majus Altare S. P. Augustini.

Altare S. Apolloniæ V. & Martyris Austriacæ quoque pietatis opus est. Cum namque Leopoldus glor. mem. Imperator annos vix duos natus extremo dentium dolore laboraret, sic ut gingiva computresceret, ac Medicorum Judiciò gravius aliquid, & mors in propinguo metuenda esset, Piissimus Parens Ferdinandus III. Augustus votum nuncupat, si supremum Numen periculo, quo cum configebat, Leopoldum eriperet, sospitèmque redderet D. Apolloniæ V. & M. cuius intercessionibus ad DEUM usus est, aram se structurum. Vide, quām proni in mortalium vota sint cœlites! Archi-Dux tantopere periclitans in horas & momenta melior fieri occœpit, donec paucorum dierum spatiò integerrimæ valitudini, velut miraculò, redderetur. Augustus Parens, ut gratitudinis Anathema suis perpetuò oculis obversaretur oppositos Oratorio Cæsareo muros perrumpi, & arcuatum in fornices Sacellum,

Altare S. Apolloniæ

cellum, sub ipsa turri apparari fecit, tota turris moles adhucdum huic fornici innititur. Commune ad hanc aram Refugium est eorum, qui gravioribus dentium, vel gingivæ doloribus vexantur, atquid hac causa recuperatæ valetudinis indices tabellas, ginvivas, dentes argenteos, aureos, & ejusmodi anathemata hic appensa est reperire. Accessere subinde volente Ferdinando III. Imp. insignes Reliquiæ, dens videlicet D. Apolloniæ post obitum Mariæ Leopoldinæ Imp. Ducis Tyr. quem collō pendulum, cùm viveret, gestare solita erat, quémque die huic Martyri Sacro culturus devotō osculō populus, ac sequentibus octavæ diebus, innumerabilis confluit. Inter cætera anathemata, quod mirere, Ludovica Carolina Comes Palatina Rheni Dux Radzivill, An. 1694. ob filiam dentium dolore liberatam, quanquam Calviniani dogmatis tenax mandibulam argenteam aris appendendam vovit, & consignari fecit.

**Altare S. Crucis seu Tieffenbachianum.** Altare Crucifixo Salvatori Sacrum priori contiguum est, in eo vetustissima Sanctissimæ Virginis effigies filium cruce depositum sinu gestantis colitur, impendiis Illustrissimæ S. Romani Imp. Comitum à Tieffenbach Familiæ, unà cum loco, quo vitâ functi conderentur erecta est Anno M DC XLI.

**Altare S. Nicolai Tolentino.** Altare, & Capellam S. Nicolai de Tolentino Ord. nostri Excellentissimus S. R. I. tum Comes Joannes Adolphus à Schwarzenberg, paulò post Imperii Princeps renuntiatus, sumptibus suis eleganter adornavit, locum insuper Suæ, suorūmque Serenissimorum Successorum sepulturæ delegit, cui Principi, ut & toti ejus Profapiæ amplissimas gratias, & insignia prorsùs beneficia minima Religio nostra in acceptis refert. Perfecta fabrica est Annô M DC LVI.

**Altare Salvatoris crucis depositi.** Sacellum, & Altare Salvatori Cruce deposito consecrata An. MDCXXXVI. per noctros facta, à geminis Excellentissimis S. R. I. Comitibus Maximiliano à Wallenstein, Sac. C. Maj. Supremo stabili Praefecto, & Francisco ab Harrach, &c. Sibi suisque Illustrissimis Posteris subtus ea tumulandis comparata sunt. M DC XL.

**Altare S. Josepho Christi nutritio.** Altare S. Josepho Christi nutritio Illustrissimi Domini, Domini Adamus Antonius & Ernestus Constantinus Fil. à Grundenmann, & Falckenberg condidere, Sacro apparatu, Sacerdotum vestibus, lampade perpetuò arsura dotavere.

**Altare S. Joannis Nepomuceni Martyris.** Altare, & Sacellum S. Joannis Nepomuceni Martyris Anno MDCC XXI. exstructum est impendiis Cultoris ejus glorioſi Martyris, Titl. D. Francisci Kayser Cæsarei Agentis Bellici, & apud Excellentissimum D.D. Gundacc. ab Althann Praefectum, Grandis huc & Nobilitatis, & plebis concursus, qui singulâ quartâ hebdomadum feriâ, quam morte sua Sanctus hic signavit Novendiali devotioni dant operam, quam ipsam ab Anno 1722. à per Vigilio ejus festi, quod die 16. Maij celebre est, Pontificalibus Sacris, Lytaniis, exposito Augustissimô Altaris Sacramentô, Festoque Ecclesiæ, & Altaris apparatu, inter exquisitissimos Mu-

sico-

scorum concentus quotannis celebrari solitum est , subsidiaria pietate variorum Benefactorum ad tolerandos sumptus manum cōmodante. Multæ gratiæ Sancti hujus interventu , à Divina Bonitate hoc loco in Christianos profluxere , ægritudines pulsæ , res perditæ , aut ablatæ possessoribus redditæ , ac prodigo reperτæ , pecuniæ extremè miseris , & propè desperantibus invisibili manu porrectæ , omnis generis necessitates sublatæ , potissimis Viennensium animos faciunt , ad has aras opitulatrices Thaumaturgi manus implorandi. Quæ quoniam peculiari in libello vernaculo idiomate unō ab hinc annō publici juris tecimus , ed Lectorem remittimus.

Altare , & Sacellum D. Carolo Borromæo Cardinali , & Episcopo Mediolanensem Anno MDCXXXIV. à nostris apparatum , Annō M DC LXIX. sibi , & posteris à morte condendis Excellentissimus D. D. Maximilianus S. R. I. Comes à Lamberg , Supremus Camerarius , inde Aulæ Cæsareæ Summus Præfectus , &c. Suum fecit.

Altare , & Sacellum S. Jacobi Apostoli sumptibus Monasterii An. M DC XXXIV. perfecta sunt ; at , cùm An. M DC LXIX. Illusterrimus Dominus , Dominus Jacobus S. R. I. Comes à Strozzi , in pugna adversus Turcam strenuè dimicans gloriosô fatô occubisset , Illustrissima ejus Vidua Octavia de Strozzi Mariti condendis cineribus deputatam , Sacrò apparatu instruxit.

Altare , & Sacellum S. Sebastiani Mart. & peculiaris adversùs epidemicam luem Patroni debet Ecclesia devotioni Reverendissimi , & Illustrissimi D. D. Sebastiani Comitis de Lodron Episcopi Gurcensis. Contigua huic loco crypta est ( de qua , & aliis suō locō ) quæ Illustrissimæ S. R. I. Comitum de Sprinzenstein Familia per Excellentissimum D. D. Comitem de Sprinzenstein , Provinciæ Marescallum asserta est , qui ipse ornandæ S. Sebastiani Capelle , & Altari complures sumptus impendit.

Altare , & Sacellum D. Partheno-Martyri Catharinæ , Anno MDCXXXIV. Patres nostri apparavere , subinde Illustrissimi Domini Domini S. R. I. Comites Henricus , & Dislaus de Heissenstein , eum locum suæ , suorūmque sepulturæ destinârunt , Capellam suis impendiis ornârunt.

Altare , & Sacellum SS. Trium Regum , qui gentium primitiae , adoraturi Christum ex oriente advenerant , antequam nobis Basilica consignaretur quidem structa , sed quodd à nobis designatis Capellis non responderet , earum similis erecta est per Illustrissimum D. D. Joannem L. B. à Weber &c. &c. cryptâ etiam additâ. Eam nostra ætate Prænob. D. Melchior Zorn , &c. Suis impendiis renovari fecit , & contiguum sibi , suisque descendantibus condendis conditorium habet.

Altare , & Sacellum S. Joannis Evangelistæ M DC XXXII.

Altar. S. Ca-  
rolli Borr.  
Seren. Prin-  
cipum &  
Comit. à  
Lamberg.

Altar. S. Ja-  
cobiApost,  
Ill. Comit.  
Strozz.

Altar. S. Se-  
bastiani M.

Altare S.  
Catharinæ  
V. M. Ill.  
S.R.I.Com.  
deHeissen-  
stein:

Altare SS.  
Trium Re-  
gum.

Altar. S. Jo-  
annis Ev.

sumptibus itidem Conventū nostri parata sunt , quam Illustrissima D.D. Perpetua Baro de Remmerstall , nata Comes de Ursenbeck , Illustrissimo Conjugi Joanni Christophoro L. B. de Remmerstall &c. Sibique à morte tumulandis designavit.

**Altare SS. Crucifixi.** Altare , & Sacellum SS. Crucifixi sic dictum ; quod in eo icon Redemptoris in crucem acti opere sculptorio colatur , cui ex artis Com. Palfy peritorum sensu quantum artifex scalprum attinet , Germania propè similem non habet , posuit Excellentissimus D.D. Paulus S. R. I. Comes Palfyi , Regni Hungariæ Palatinus. Novam aram , cæterum ornatum opere plasticō , & sculptorio uti & imagines laterales &c. &c. Illustrissimus D.D. Antonius de Palfy , &c. Fieri fecit.

**Altare, S. M. Monicæ.** Altare , & Sacellum S. M. Monicæ Augustini Optimi Parentis Matri à nobis ædificata sunt M DC XXXII. impendiis quæ tenues facultates , & paupertas admittebant. Anno MDCLVII. Excellentissimi Domini , D. Joannes Richardus , & Joannes Ladicus S. R. I. Comites à Stahrenberg , sibi , & Illustrissimæ Stahrenbergicæ Posteritati conditorum delegerunt.

**Alt. S. Cajetani Confess.** Altare S. Cajetani Conf. collatis variorum Nobilium subsidiis MDCLXXXVII. perficitur , Annō in sequente per Celsissimum S.R.I. Principem Ernestum è Comitibus de Trautsohn , Episcopum Vienensem consecratum.

**Altar. S. M. Annae, III. S. R. I. Comit. Scalvoni.** Ut eō locō quō intemerata Filia in Lauretana æde colitur , suum etiam Sancta Mater , & Christi avia cultum , & aram habet , fecit pietas Illustrissimi D.D. Hieronymi I. B. Scalinioni &c. cuius impensis in postica Sacelli Lauretani parte aram condidit , ad cuius pedem suum , suorumque corpora ut sepeliri possent , cryptam apparavit.

**IV. Altaria Capillæ De functorum** Hæc sunt majoris Ecclesiæ Altaria , præter ea quatuor , quæ Sacellô Defunctorum comprehenduntur , medium videlicet Sanctissimi Crucifixi Indulgentiâ Plenariâ , & Privilegio animæ quovis Sacrificiō , quovis die piacularibus flammis eximendæ celebre , bina lateralia dextrum D. P. Augustino , Alterum S. Matri Monicæ , postremum omnibus Divis Sacrum.

Verum , ut non interius solum Altaribus instructa , sed & afforis ære campano vocalis esset Pietas , & æternum posteris Augustæ Domus in Discalceatos præberetur amoris testimonium , Ferdinandus III. Aug. Turrim altam , elegantem , plurium milijum impendiis An. M DC LII. struendam imperavit , quam laminationis de cupro teatam , cruce desuper , & Corona Imperiali decoravit , Campanæ subinde grandes , Sonoræ additæ sunt. At præ ipso ære monumentum perennius huic Turri ipse Ferdinandus III. addidit , quando quatuor lateribus , æneis litteris , sequentia apponi fecit , quæ propriō ingenio , & manu scripsit :

Fir-

**Firmamento , Decori , ac Provectioni F.F.  
Eremitarum Discalce. S. Augustini.**

testaMento aperto CLangenDæ pletatls,  
ornaMento Llbero aDeptæ paCls,  
ostento apto CoMpLenDæ annosItatls.

### *Sanctorum Reliquiae.*

**S**Acras reliquias , & Sanctorum Lypsana in templo Cæsareo ser-  
vata, recensuri , à majore illa ænea cruce initium facimus, quæ  
Margaritæ Hispaniarum Infant Leopoldi M. Conjugi dono data ,  
per eam Ecclesiæ nostræ Clementissimè donata est. Crux hæc fu-  
sorio opere facta , inque varia loculamenta distincta , quæ cry-  
stallô teguntur , sequentes Reliquias in se complextitur : *S. Cru-  
cis Particulam , in qua Salvator Reconciliationis nostræ  
opus consummavit , SS. Andreæ , & Thomæ App. Stephani  
Proto-Mart. , S. Augustini Ep. & Conf. , S. Antonii Abb.  
SS. Ignatii , & Francisci Xaverii , SS. Dionysii , Valen-  
tini , Victoris , Justini , & Claudiani M. M. , S. Fran-  
ciscæ Romanæ , S. Rosaliæ Panormitanæ , & S. Theodo-  
ræ Virginis , & Martyris ; Quas Reliquias Julius Spinola S.  
Sedis Legatus Apostolicus Eidem Imperatrici abs se donatas , genui-  
nas , & de corpore Sanctorum , quos diximus , sumptas fuisse ,  
sequente scripto fidem fecit :*

\* Crux æ-  
nea reliq.  
referta.

**J**ulius Spinola , DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Archi-  
Episcopus Laodicensis , Sanctissimi in Christi Patris ,  
& Domini N. D. Alexандri Divinâ Providentiâ Pa-  
pæ VII. Prælatus Domesticus , & Assistens , ejusdém-  
que & S. Sedis Apostolicæ apud Sac. Cæsaream Majesta-  
tem Leopoldi in Imperatorem electi , nec non per Ger-  
maniam , Hungariam , Bohemiam , Styriam , Carin-  
thiam , Carnioliam , Croatiam , Goritiam , Tyrolim ,  
Universumque Romani Imperii Districtum cum Faculta-  
te Legati de Latere Nuntius. Reliquiae de Ligno S. Cru-  
cis ; SS. Andreæ , & Thomæ Apostolorum , Stephani  
Proto - Martyris , Augustini Episcopi , Antonii

O

Abba-

Abbatis, Ignatii de Loyola, Francisci Xaverij, Dionysii, Valentini, Victoris, Justini, & Claudiani MM. Sanctorum Franciscæ Romanæ, Rosaliæ Panormitanæ, & Theodoræ Virginis, & Martyris, è Sacrariis authenticè approbatis fideliter fuerunt depromptæ, illasque solenni sedulitate Crucis ex metallo fuso deaurato elaboratae sub crystallis in ea distinctis, apponi, & conservari curavimus. Quam quidem Crucem eisdem reliquiis decòratam, in quovis loco pio, & conspicuo expositam, à fidelibus Catholicis adorandam, Nos in documentum obsequii Sacrae Cæsareæ, & semper Augustissimæ Imperatricis Sponsæ Margaritæ, tanquam Paradysi Clavem, Imperii Sceptrum, pacis firmamentum, & omnium bonorum abundantem Datriensem, devotè exhibemus. Confisi, quod sicut in Cruce Domini nostri IESU Christi, exemplo Majorum Sua Majestas gloriatur, sic in hoc Sacratissimo humanæ salutis signo, videbit Filios, Filiorum suorum adversus portas inferi gloriosè triumphantes. In fidem &c. Viennæ 5. Mens. Dec. 1666.

Julius Archi-Ep. Laod. Nunt. Apost.

\* Reliquie de Police S. P. Aug. Præter supra dictas S. Patris Augustini Reliquias, partem quoque ossis de police manus dexteræ ejusdem possidemus, illius videlicet portionem instrumenti, quô Regulam suis, Ecclesiæ bono innumeros propè libros scripsit. Hæc conditoriō argenteō

\* De Sanguiue S. Nicolai Tolent. magni pretii, cui Imperialis corona superposita, servatur. Eodem prorsus modō Sanguinis, qui de Corpore S. Nicolai Tolent. Ord. Nostri multis ab obitu annis fluxit, cùm brachium ejus dextrum aliò transferendum, abscessum est.

\* Dens S. Apollon. V. Mart. Dens S. Apolloniae V. & Mart. donum Augustissimæ Domus Austriacæ, quem Leopoldina Imp. Dux Tyr. collo, dum vixit, pendulum gestavit, ultimis ejus tabulis nostræ Ecclesiæ cedit. Frequens ejus est veneratio præprimis die, & S. Martyri sacra. Pluribus, plium huic reliquiae impensum osculum, præsentissimum adversus dentium, & gingivæ dolores fuit amuletum.

\* Corpus S. Victor. M. S. Victoriae M. Corpus, Romæ ex Cœmeterio Cyriacæ ad nos translatum, per Celsissimum, & Reverendissimum S. R. I. Principem Philippum Fridericum Episcopum Viennensem recognitum, aræ S. Caroli Borromæi impositum, colitur. Quis securam non dicat Triumphorum Austriam, Palatino in Templo Lauros, \* & Lauret, Victoriam domesticam habet?

S. Cor-

S. Corpus Beati Jordani de Saxonia Ord. S.P. Augustini, quem Joannes Trithemius \* *Virum devotum, & scripturarum divinarum explanatorem, & interpretem egregium, & in declamandis sermonibus Excellentissimi ingenii.* Et Joannes Signimus \* *Principem in Germania Theologorum* appellant, in hac S. Aede locum quietis suæ habet, quod Corpus, quâ Beati, dudum publicæ venerationi expositum fuisse, si tria inter; Thomæ, & Georgii Magistrorum Generallum totius Ordinis, & hujus ipsius Jordani corpora eodem tumulo condita discerni potuisset, nullô dignoscendi indicio relicto.

His accedunt clausa argentatis thecis majora ossa SS. Martrum de Societate S. Gereonis; Crus S. Beinii Mart. duo brachia Sanctorum Martyrum D. Ursulæ Sociarum, totum S. Pontiani M. brachium à Philippo Friderico Episcopo Viennensi pro genuinis censa, ac officio solenni quotannis coli solita, quibus Augustissima Imperatrix Eleonora Mant. M DC LIV. Basilicam hanc Clementissimi ditavit.

Aulæ Cæsareæ solemnitates, quibus Augustus Cæsar cum Augusta Familia in hac Basilica adesse consuevit, recensamus; Festum Purificationis B. V. Mariæ, quo benedictioni Candelarum, per Eminentissimos Cardinales, vel Nuntios Apostolicos fieri solitæ, processioni, Sacro Pontificali adest. Annuntiationis ejusdem Intemeratæ Virginis, in eo Aurei Velleris Equitibus stipatus Lauretanam ædem invisit. Sacra Hebdomada, & præcedaneis Paschalium Festorum diebus Cæremoniæ Ecclesiasticæ Benedictio palmarum, Passiones, ab Evangelistis scriptæ, musicis modulis decantatae, Matutina, Communio publica, quâ Imperator, Augusta, Ministri, Ephæbi, Gynecæum in ipsis inspectantis Cæsaris oculis, reficiuntur, adoratio Crucis die Parasceves eodem, quod ad S. Synaxin ordine, Mysteriorum quindecim solemnia diebus tribus Sabbathis, quæ Pascha præcedunt, structo Altari plus quam mille luminibus illustri, Salvatoris è sepulchro resurgentis memoria ipso Sabbatho Sancto inter tubarum clangorem in hac Palatina S. Aede haberi consueverunt. S. Apolloniæ V. & Mart. S. P. Augustini gloriissimi Fundatoris dies, præsentia Cæsareæ celeberrimæ redduntur. Solemni Aurei Velleris Equitum, & tutelaris sui Fæsto S. Andreæ Apostoli peculiari cum ordinis ejus Principibus Viris veste indutus, ad pridianas Vespertas, ipsoque festo die, ad Sacrum Pontificale comparet. Quid, quod Supplicationes seu Indulgentiae Jubilaris causâ, sive gratiarum actoriæ ob Viennam obsidione liberatam, ex hac Ecclesia ducantur. Ut rem compendiò dicamus; nihil publicæ Solemnitatis Ecclesiasticæ est: seu benedicendæ à partu Augustissimæ Imperatrices, seu Cardinalibus Purpuræ, seu torques Burgundi Ordinis, Augustis manibus imponatur, sive demum de Augustissima hac Domo descendantibus, aut agnatis Principibus parentandum sit, quod non hoc loco, sicut, amplitudine accomodo, atque hac causa prælongo ambitu

\*Corpus B.  
Jordani de  
Saxonia,  
\*Trithem.  
de Script:  
Ecclesia  
tic.  
\*Lib. 14.  
Supplē  
Chronici.

\*Reliquæ  
SS. MM. ex  
S. Gereonis  
S. Ursulæ. S.  
Beinii M.S.  
Pontiani  
Mært.

Cæsareæ Aulæ anncxo , peragi soleat. Ut taceamus solennitates , quæ Ordini peculiares sunt , ut octavariam S. Apolloniæ V. & M. Novendialem S. Joannis Nepomuceni Festivitatem , ut Prætorianorum Cæsaris , ut Tribuum Sacra , singulis quatuor anni temporibus agi solita. Certè Inclyta Natio Regni Bohemiæ D. Regi , Reg. Bohe. & Tutelari Suo Wenceslao M. quotannis Panegyrica dictione , Samia , Duc Silesiæ , Sue cro Pontificali , & Splendidissimo Majoris aræ apparatu clientelarum cultum defert , Eadem Inclytæ Nationis Ducatus Silesiæ in D. Ducem suam , & Patronam Hedwigem , eadem celebris Nationis Suevicæ in D. Udalricum Episcopum Augustanum , & Ducatus Styriæ in S. Ægydium Abb. est pietas , quâ Sanctis suis Tutelaribus debitæ gratitudinis testimonia persolvunt.

### *Augustorum Hymenæos , quibus & in hac Basilica benedictum est , subjungetur.*

Ferdin. III & Maria Inf. Hispp. **A**nnô MDC XXXI. Ferdinando III. Archi-Duci Austriæ Ferdinandi II. Filio , postea Röm. Imperatori Maria Infans Hispaniarum Philippi IV. Hispp. Regis Filia in hac S. Æde desponsata est , quo ex connubio Maria Anna Mater Caroli II. Regis Hispan. & Leopoldus I. unica , post Ferdinandi IV. obitum , spes orbis geniti sunt.

Wladislaus Rex Pol. & Cæcilia Renata AA. **A**nnô MDC XXXVII. Wladislaus Rex Poloniæ , gloriofissimus Princeps , Cæciliam Renatam Archi-Ducem Austriæ , Ferdinandi II. Filiam , Ferdinandi III. Sororem ad aras Lauretanæ Virginis connubiō sibi jungit , vestemque Regiam , argentō prægravem Sacello transcritbit.

Leopold. I. & Margar. Inf. Hisp. **A**nnô M DC LXVI. VI. Decembbris Leopoldus I. Rom. Imperator , ad aram Ecclesiæ Principem , & Margarita Hispaniarum Infans ad nuptialia vincula dexteras dedere.

Maximil. Em. D. Boj. & Mar. Anton. AA. **A**nnô M DC LXXXV. XV. Julij Maximiliano Emmanueli Duci , & Electori Bavariæ Maria Antonia Archi-Dux Austriæ , Hispp. Infans Leopoldi Imp. ex Margarita Fil. benedictionem impertiente Leopoldo à Kolloniz postea S. R. E. Cardinale jungitur.

Joseph. I. Imp. & A- mal. Wil. Hannov. **A**nnô M DC LXXXIX. XXIV. Febr. Augusti Romanorum , & Hungariæ Regis Josephi I. postea Imperatoris , & Sponsæ Serenissimæ Amaliæ Wilhelminæ Ducis Hannoveranæ Augustis Hymenæis Andreas Sancta Crucis Nuntius Apostolicus ad Altare majus benedicit.

### *Purpura Augustis manibus imposita est*

**A**nnô M DC LXVII. Mense Aprili , Eminentissimo S. R. E. Cardinali-Diacono Spinola Nuntio Apostolico.

Annô M DC LXXII. Eminentissimo S. R. E. Cardinali , & Abbatii Fuldensi , Marchioni Baadensi , ex Ordine S. Benedicti.

An.

Annô M DC LXXV. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Alberio, Nuntio Apostolico, &c.

Annô M DCLXXXII. XXV. Jan. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Francisco Bonvisio, Nuntio Apostolico.

Annô M DC LXXXVI. XXVIII. Novembris. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Leopoldo è S. R. I. Comitibus à Kolloniz, Viro de Ecclesia, Cæsare, Imperio summè merito.

Anno M DCLXXXVI. XXIX. Jan. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Sebastiano Antonio Tanara, Nuntio Apostolico.

Anno M DC LXXXVII. I. Sept. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Grimano.

Anno M DCC. XIX. Septembr. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Joanni Philippo Episcopo Viennensi, ex Illustrissima S. R. I. Comitum Lambergianorum Proslapia.

Anno M DCC XXII. XXI. Aug. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Julio Piazza, Episcopo Faventino Nuntio Apostolico, & Eminentissimo S. R. E. Cardinali Joanni Hannibali Episcopo Olomucensi, Capellæ Regni Bohemiæ Comiti è Comitibus à Schratzenbach.

Anno M DCC XV. I. Decembr. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Damiano Hugoni, è Sac. Rom. I. Comitibus de Schönborn-Buchaim.

Anno M DCC XVIII. XVIII. April. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Emerico Czaky Archi-Episcopo Colozensi.

Anno M DCC XVIII. XVIII. Febr. Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus Georgio Spinola, Nuntio Apostolico, & Michaëli Friderico Episcopo Vacensi, ex Illustrissimo S. R. I. Comitum ab Althann stemmate.

Anno M DCC XX. VI. Debembris. Eminentissimo S. R. I. Cardinali Alvaro Cienfuegos, ex Inclyta S. J. Episcopo Cataneæ, è Comitibus de Masculi.

Anno M DCC XXVIII. IV. April. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Sigismundo I. Archi-Episcopo Viennensi, S. C. M. Consiliario actuali intimo S. R. I. Principi, è Comitibus de Kolloniz, Ordinario nostro Clementissimo, cui vitam, felicitatem, diuturnitatem Optimum Numen largiatur.

Eodem Annô ac die. Eminentissimo S. R. E. Cardinali Philippo Ludovico Episcopo Jaurinensi, ex Illustrissimis S. R. I. Comitibus à Zinzendorff, &c.

Torques Aurei Velleris Imperatoria manu confertur.

Anno 1665. Celissimo S. R. I. Principi à Dietrichstein, Imperatoriae Aulæ Supremo Præfecto, Excellentissimo D.D. Raymundo Comiti Montecucoli, Supremo Consilii Bellici Præsidi, 1672, Joanni Hartwigo S. R. I. Comiti à Nostiz, Regni Bohemiæ Supremo Cancellario, Gundaccaro Comiti à Dietrichstein. 1675. Alberto

S. R. I. Comiti à Zinzendorff. 1676. Leopoldo Guilelmo Comiti  
 à Königsegg, S. R. I. Vice-Cancellario, Humberto Comiti Czer-  
 nin, Consil. Intim. Carolo Comiti à Wallenstein. 1682. Paulo  
 Esterhazy Principi, & Palatino Hungariæ. Annô 1712. 29. Mar-  
Aureum  
Vellus per  
Aug. Caro-  
lum VI.  
confertur.  
 tij, Augustissimus Carolus Sextus Summum celeberrimi Ordinis  
 Caput sequentes in Sua Palatina Basilica aureo vellere donavit:  
 Serenissimos videlicet & Excellentissimos Principes, & Comites: Em-  
 manuelum Ducem Sabaudiæ, Wenceslaum Norbertum Comitem  
 à Kinsky, Maximilianum à Thurn, & Valsassina, Gundacca-  
 rum Thomam Com. à Stahrenberg, Carolum Josephum Com. à  
 Paar, Rudolphum Sigismundum Com. à Zinzendorff, Michaë-  
 lem Joannem Comitem ab Althann, Adamum Franciscum Princi-  
 pem à Schwarzenberg, Nicolaum Comitem Pálffy, Norbertum  
 Com. à Kollovrat, Antonium Com. Oropesa, Wricum Lauren-  
 tium Com. à Daun, Joannem Baptistam Com. Colloredo. Sub-  
 inde Anno 1721. ipsô S. Andreæ festô: Emmanuel Infantem  
 Principem Lusitaniæ, Maximilianum Ducem Brunsvico Lune-  
 burgensem, Josephum Folck, Principem de Cordona, Maximi-  
 lianum Guidobaldum Comitem à Martiniz, Leopoldum Com.  
 ab Herberstein, Leopoldum Com. à Schlick, Fridericum Com. à  
 Khevenhüller, Joannem Josephum Comit. Wirtby, Josephum  
 Principem à Liechtenstein, & Joannem Antonium Boxador, Co-  
 mitem de Savalla.

*Castris Dolorum erectis Descendentibus ab Augu-  
sta Domo, & Agnatis parentatum est.*

M DC XXXI. Serenissimæ Constantiæ Poloniæ Reginæ Sigis-  
 mundi Regis Conjugi, Archi-Duci Austricæ, Sorori Ferdinandi II.  
 August.

Eod. Anno, Serenissimo Principi Sigismundo Poloniæ paucis  
 post obitum, SSmæ Conjugis Suæ, mensibus superstiti.

M DC XXXVII. Mense Martio, Augustissimo Invictissimo  
 Potentissimo Principi Ferdinando II. Augusto Cæsari, Regi AA.  
 Introductori, & Prosectori nostro gloriosissimo.

M DC XLVI. Augustissimæ Imperatrici Mariæ Ferd. III. Conj.  
 Philippi IV. Hispp. Regis Sorori, Leopoldi M. Matri.

M DC XLVII. Serenissimo Principi Philippo V. Hispp. In-  
 fanti Filio sexdecenni Philippi IV. Reg.

M DC XLIX. Serenissimæ Principi Claudiæ Duoï Tyrolis,  
 Archi-Duci Austricæ.

Anno eodem. Augustissimæ Imperatrici Mariæ Leopoldinæ  
 Conjugi secundæ Ferdinandi III. Cæsaris.

M DC LI. XXV. Octobr. Serenissimo Principi Maximiliano  
 Electori Bavariæ, &c.

Annô eodem. XIX. Decembr. Serenissimæ Principi Annæ  
 Con-

Constantiæ Ducis Neoburgicæ , Sigismundi Reg. Polon. ex Constantia Austriaca , Filiæ.

M DCLIV. Augusto Rom. Regi Ferdinando IV. , Ferdinandi III. Filio præmatura morte abrepto.

M DCLV. Augustissimæ Eleonoræ Mantuanæ Imperatrici , Ferd. II. secundæ Conjugi &c.

Anno eodem. Serenissimo , & Reverendissimo Principi Carolo Episcopo Nissensi &c. Fil. Sigismundi Reg. Polon. ex Constantia Austr. Ferd. II. Sorore.

Eodem item Anno. Serenissimæ Margaritæ Ducissæ Mantuæ , & Montis Ferrati , aviæ Aug. Eleonoræ Mant. Ferdin. III. tertiae Conjugis.

M DCLVII. Augustissimo Cæsari Ferdinando III. Hungariæ, Bohemiæ , Regi Archi-Duci Austriæ , &c.

M DCLX. Serenissimæ Principi Eleonoræ Ducis Mantuæ , &c. Eleonoræ Ferdinandi III. tertiae Augustæ Matri.

M DCLXII. Serenissimo , & Reverendissimo Principi Leopoldo Guilelmo Archi-Duci Austriæ , Ferdin. II. Filio , Episcopo Passaviensi , Olomucensi , Argentoratensi , &c.

M DCLXIII. Serenissimo Principi Ferdinando Carolo Ducis Tyrolis , Archi-Duci Austriæ , &c.

M DCLXIV. Serenissimo Principi Carolo Josepho AA. Fil. Ferdin. III. ex Maria Leopoldina Tyr. Teutonici Ord. Supremo Magistro , electo Episcopo Passaviensi , Olomucensi , & Vratislavensi , &c.

M DCLXV. Serenissimo Principi Sigismundo Francisco Ducis Tyrolis , Archi-Duci Austriæ , &c.

M DCLXV. Serenissimo Principi Carolo Ducis Mantuæ , & Montis Ferrati.

Eodem Anno. Catholissimo Hispp. Regi Philippo IV.

M DCLXVI. Serenissimæ Annæ Mariæ Philippi III. Hispp. Regis Filiæ , Ludovici XIII. Galliarum Regis Conjugi.

Eod. ann. Serenissimo Principi Alberto Ducis Bavariæ.

M DCLXVII. Serenissimæ Ludovicæ Mariæ Gonzagæ , natae Ducis Mantuæ Vladislai IV. & Joannis Casimiri Poloniæ Reg. Conjugi.

M DCLXIX. Serenissimæ Principi Mariæ Magdalena Ducis Tyrolis Filiæ.

M DC LXX. Serenissimo Principi Ferdinando II. Magno Ducis Hetruriæ.

M DC LXXIII. Serenissimo Regi Poloniæ , Joanni Casimiro Sigismundi Reg. Polon. & Constantiæ Austr. Filio.

Eodem ann. Augustissimæ Imperatrici Margaritæ Leopoldi M. primæ Conjugi , Philippi IV. Reg. Hispp. Fil.

Eodem ann. Serenissimo Principi Michaëli Regi Polon.

- M DCLXXV. Serenissimo Carolo Emmanueli Duci Sabaudie, Principi Pedemontis, Regi Cypri. &c.  
Anno eod. Eminentissimo Leopoldo S. R. E. Cardinali Medicæo Cosmi II. Ducis Hetrur. Fil. Ferdin. II. ex Sorore Nepoti.
- M DC LXXVI. Augustissimæ Imperatrici Claudiæ Felicitatî natæ Duci Tyrolis, Leopoldi I. secundæ Conjugi.  
Eod. ann. Serenissimæ Henriettæ Adelhaidi Duci-Bavariæ, natæ Duci Sabaudie.
- Eod. ann. Serenissimæ Annæ Duci Tyrolis, Matri Claudiæ Fel. Imperatricis.
- M DCLXXIX. Serenissimæ Margaritæ Medicæ Duci Florentiae, nuptæ Duci Parmæ.
- Eod. ann. Serenissimo Princ. Ferdinando Mariæ Bavariæ Duci, Aul. Dapifero, & Electori.
- M DC LXXXIII. Serenissimo Duci Wolfgango Neoburgico.
- M DC LXXXV. Sereniss. Isabellæ Claræ Mantuæ, & Montis Ferrati Duci.
- Eod. ann. Serenissimo, & Reverendissimo Alberto Sigismundo Episcopo Frisingensi, & Ratisbonensi Duci Bavariæ.
- M DC LXXXVI. Augustissimæ Imperatrici Eleonoræ natæ Duci Mantuæ, & Montis Ferrati, Ferdin. III. secundæ Conjugi.
- M DC LXXXVIII. Reverendissimo, & Serenissimo Maximiliano Henrico Electori Coloniensi, & Duci Bavariæ.
- M DC LXXXIX. Serenissimæ Archi-Duci Austriae Mariæ Annæ, Duci Neoburgicæ.
- Eod. ann. Serenissimæ Mariæ Luisæ Hispan. Reginæ, Aurelianensis Ducis Filie.
- M DC LXXXX. Serenissimo Principi Carolo Duci Lotharingiæ, & Barrij.
- Eod. ann. Serenissimæ Mariæ Annæ Christinæ Fil. Ferd. Mariæ Elect. Bavariæ Conjugi Delphini Galliæ.
- Eod. ann. Serenissimo Duci Philippo Guilelmo Electori, ac Principi Neoburgico, Parenti Eleonoræ Magdalena Theresiæ Leopoldi Imp. tertie Conjugis.
- M DC LXXXIII. Serenissimæ Mariæ Antoniæ Hispp. Infantii Leopoldi Imp. ex Margarita Aug. Fil. Conjugi Maximiliani Emman. Electoris, & Ducis Bavar.
- M DC LXXXIII. Serenissimæ Leopoldinæ Eleonoræ Josephæ natæ Duci Neoburgicæ.
- Eod. ann. Serenissimo Principi Philippo Guilelmo Duci Neoburgico.
- M DC LXXXIV. Serenissimo Principi Antonio Ludovico Ordinis Teutonici Supremo Magistro, Duci Neoburgico.
- Eod. ann. Serenissimo Principi Alexandro Farnesio,

M D C LXXXVI. Serenissimæ Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ, Archi-Duci Austriæ, Sorori Leopoldi Imp.

Eod. ann. Serenissimo Joanni III. Regi Poloniæ.

Eod. ann. Serenissimæ Mariæ Theresiæ Archi-Duci Austriæ Fil. Leopoldi Imp. duodecenni.

M D C LXXXVIII. Serenissimæ Eleonoræ Mariæ Reginæ Poloniæ, Ducis Lotharingiæ, natæ Archi-Duci Austriæ.

M D C LXXXIX. Serenissimæ Sophiæ Reginæ Lusitaniæ, Ducis Palatinæ Rheni.

M D C C I. Serenissimo Carolo II. Hispaniarum Regi Archi-Duci Austriæ.

Eod. ann. Serenissimo Philippo Bourbonio Ludovici XIV. Gall. Regis Germano.

M D C C III. Serenissimæ Mariæ Josephæ Archi-Duci Austriæ Fil. Leopoldi Imp.

M D C C V. Augustissimo Potentissimo Invictissimo Roman. Imp. Leopoldo I. Hungariæ, Bohemiæ Regi Archi-Duci Austriæ.

M D C C IX. Serenissimæ Elisabethæ Amaliæ Magdalenaæ Duci Neoburgicæ.

M D C C X. Serenissimæ Carlottæ Felicitati Duci Mantuæ, natæ Duci Neoburgicæ.

M D C C XI. Augustissimo & Invictissimo Josepho I. Rom. Imp. S. A. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regi Archi-Duci Austriæ.

Anno eod. Serenissimo Ludovico, Ludovici XIV. Galliarum Regis Primogenito.

M D C C XII. Serenissimæ Theresiæ Catharinæ Comiti Palatinæ Rheni.

M D C C XV. Serenissimo Francisco Antonio Lotharingiæ & Barry Ducis. Administratori Stabulensi, & Malmediensi, S. R. I. Principi.

Eodem ann. Serenissimo Principi Ludovico XIV. Regi Galliarum.

Eod. ann. Serenissimo Principi Carolo Leopoldo Ducis Lotharingiæ &c. Archi-Episcopo Trevirensi, & Electori.

M D C C XX. Augustissimæ Imperatrici Eleonoræ Magdalenaæ Theresiæ natæ Duci Neoburgicæ, Leopoldi M. Conjugi, Augustissimi Imp. Caroli VI. Matri.

M D C C XXI. Serenissimæ Margaritæ Ludovicæ M. Duci Hetruriæ, Fil. Gastonis Joannis Aurelian. Ducis.

Eod. ann. Serenissimæ Elisabethæ Comiti Palatinæ Rheni, Conjugi Jacobi Sobiesky Regis Poloniæ Filii.

M D C C XXXIII. Serenissimæ Carolinæ Elisabethæ Ducis Aurelianensi, natæ Comitissæ Palatinæ Rheni, Caroli Ludovic. Electoris Filiæ.

Eod. ann. Serenissimo Cosmo III. Magno Duci Hetruriæ.

Q

Eod.

Eod. ann. Sereniss. & Reverendissimo Josepho Clementi Utr.  
Bav. Duci , Archi-Episcopo Coloniensi S. R. I. Electori.

M DCC XXVI. Serenissimo Maximiliano Emmanueli , Utr.  
Bavaricæ Duci , & Electori.

M DCC XXVII. Sereniss. Principi Francisco I. Farnesio Par-  
mæ Placentiæ , Castrique Duci.

M DCC XXVIII. Serenissimæ Elisabetha Hæreditariæ Prin-  
cipi Solisbaci.

Eod. ann. Serenissimæ Annæ Mariæ Sardiniæ , & Cypri Re-  
ginæ , Duci Sabaudiæ. &c.

M DCC XXIX. Serenissimo Leopoldo I. Duci Lotharingiæ ,  
& Barry , Regi Hierosolymæ.

M DCC XXX. Serenissimæ Theresiæ Cunegundi Duci Bava-  
riæ , Max. Emm. Conj. natæ Principi Sobiescicæ.



### *Viri aliquot Illustres , ex Provincia Bo- hemio-Germanica qui lapsō Sæculō in Conven- tu Cæsareo Viennensi vixerunt.*

Marcus à  
S. Philipp. **L**iceat , post expositam Basilicæ Cæsareæ Historiam , eorum Vi-  
rrorum aliquos in medium adducere , quorum vel Doctrina ,  
vel Sanctitas lapsō Sæculō specialiter enituit , non fastū quidem ,  
sed memoriæ , & exempli causâ . Vix ii variis , quod anhela-  
bant , beatitatis centrum affsecuti sunt , hinc aliorum tentatum  
per omnia zelum , aliorum viatoriosum à se ipsis triumphum ,  
profusam in charitatis opera voluntatem , primum in omnia ad-  
versa animum , per patientiæ , abstinentiæ , humilitatis studia  
exercitum videre erit , generalibus quidem ostensa terminis , cùm  
ad particularia eorum acta descendere animus non sit . Agmen  
ducat , qui primas Augustinianorum Excalceatorum colonias  
Viennam duxit Marcus à S. Philippo patria Moguntinus speciali  
Numinis ductu Romæ Congregationi nostræ adlectus , Vir  
ut ad virtutem natus , ita ad sufferenda quæ ejus olim hu-  
meris incubitura erant , à natura factus , sublimioribus Theo-  
logiæ scientiis ad miraculum doctus , Præco verbi Divinitam ab-  
solutus , ut , quod de Pericle scriptum est , de suggestu fulgetra ,  
& fulmina loqui videretur ; atque ideo malè seriatorum , aut hæ-  
resi infectorum complures centurias Christo vindicavit , eō præ-  
cipue bienniō quo Pragæ apud PP. Minimos ad S. Salvatorem pro  
afferenda fidei veritate frequentissimè peroraret . Audiit Ferdi-  
nandus II. Aug. Marcum in Metropolitana tanta cum voluptate ,  
ut illicò à Concione Clementiæ Suæ libertum esse jussit , ac  
Theo-

Theologum Cæsareum renuntiârit. Admiratione sanè dignus fuit, quoties pro rostris in publico diceret, admiratione dignus in secretis Monasterii latebris, atque, ut verbô multa dicamus; virtutem is habuit domesticam, quam domesticos suos primus Viennæ Prior verbô, & exemplô docuit. Provincia Germaniæ primum hunc suum Patrem, & Provincialem veneratur, Græcense Cœnobium illi sua debet initia, quod Marco, seniô, ac laboribus confecto locum sepulturæ dedit. Cui illatus est MDCLVIII die XXVII. Decembr.

Religiosus Frater Josephus à S. P. Augustino Pragensis, vitæ Joseph. à S. Innocentiâ Angelo simillimus, atque ideo familiari Angeli Tute. P. August. laris consuetudine felix, à quo ad horas nocturnas pro more Religionis decantandas excitari solitus fuit. Mariæ Cliens, & tenuerimus amator, mirè vel ejus auditio nomine in lætitiam effundi, gestire, plaudere visus; ut oculi quoque haberent, quô gaudent, illud ipsum nomen portis, & chartis inscripsit. Postridie nascientis Virginis, quô se moriturum multo ante obitum tempore prædixerat, in genua procubus, verus ad usque mortem obedientiæ Filius à Marco Priore suo moriendi facultatem, & benedictionem rogavit, quam cum Marcus liberaliter impendisset, inter Virginis DEI paræ laudes decantatas suavissimè, velut in somnum lapsus. obdormivit. Pluribus pluries à morte gloriose visus, & inter Psallentium choros vox ejus per frequenter audita est. Cœlo natus est Viennæ uno ab hinc sæculo M DC XXX. III. Sept. ann. ætat. XX.

Sixtus à S. Laurentio Moravus, primus Institutum Augustinianorum Discalceatorum ut pag. 22. diximus, Germaniæ institut. Vetus in eo Augustiniani Ordinis rigor revixisse visus est, tam fervidus honoris Divini, & rigidioris observantiæ Zelotes, tam in DEUM absorptus fuit, tam assidue animabus ad avitam fidem reducendis intendit, ut earum complures ad orbitam salutis reduxerit; suam quoque operam Conventui Viennensi impendit, cui, hominum penuriâ ob complures Religiosos grassante lue in charitatis obsequio extintos, laboranti, viros de Pragensi Cœnobia cui Prior præerat succenturiavit. Epidemica, & ipse lue, quam ab infectis quibus pro Sacro tribunali aures dabat verosimilè hausit, inter Fratrum lacrymas tanti Viri jacturam non ferentium, extinctus est. Pragæ XII. Jan. An. M DC XL.

Joannes Hieronymus à Spiritu Sancto Sanctitatis exemplar absolutissimum Doctrinæ prærogativâ, & Sacratiorum Disciplinarum Scientiâ Cæsari & Germaniæ Commendatissimus, obedientiâ compulsus Viennensi Cæsareo Monasterio præfuit atque una Aug. Cæsari Ferdinandô III. à Theologicis Conciliis. Obiit felici morte, vitæ intemeratae per omnia respondente, in eodem hoc Conventu terræ mandatus M DC XL.

Joan. Hier.  
à Sp. Sanct.

**Joā. Chrys.** **à Jef. Mar.** Joannes Chrysostomus à JESU & Maria Virtutis meritō non apud unam gentem celeber, vigoroso, ac penetrante eloquio Chrysostomum æmulatus Germaniam, Italiā, Siciliā majoribus in Religione functus officiis, ad Sanctitatem incendit. Ferdinandus III. Cæs. atque Celsissimus Episcopus Viennensis eo Theologo, & Consultore usi sunt. Scientiam semper, pietati famulari jussit, hinc neque negotiorum moles, nec occupationes frequentissimæ minimum quid Regulari observantiæ detraxeré. Visitator Apostolicus, in ipso hoc suo munere Neritone in Italia, exterorum etiam desideriō, qui hominem & amarunt, & admirati sunt, extinguitur. Ann. M DC XLIV.

**Joannes ab Assumpt.** **B. M. V.** Joannes ab Assumptione B. V. M. Silesius Krotgaviensis Columbinæ Vir probitatis, humilitate se infra omnium pedes dejectit. Vultus ejus, oculi, sermo meram Innocentium spirabant, Divinum aliquid de facie prominebat, atque ideo multis quibuscum conversabatur, Sanctitatis fuit illicium. Præco verbi Divini Zelotissimus præfuit Suggestui Basilicæ Cæsareæ, inde Novitiis instituendis Magister datus est. Adversa non æquus tantum, sed & hilaris ultrò expetere visus est, inter atrocissimos quos expertus est in morbo dolores statuam, non hominem credidisses; adeò omnem pene sensum ejus cum Voluntate Numinis conformitas absorpsit; Corpore rigorem quem assumpserat, & neque æger remiserat, non ferente, succubuit, anima exsoluta vinculis ad centrum suum, quod tantopere exambit, evolavit. M DC LII. IX. Aug.

**Sebastian.** **à S. Vicen.** Sebastianus à S. Vincentio Franco Scientias pleno ore combiabit, pulcherrima ingenii monumenta posteritati reliquit. Virtutem Doctrinæ, pulchro nexu, copulavit, observantiæ à se, atque aliis exætor acerrimus, Heterodoxos plures, verbis quibus affluebat efficacibus simul & suavissimis avitæ fidei restituit. Metam vitæ Viennæ invenit M DCLIX. 17. Aprilis.

**Egydius à S. Jo. Bapt.** Egydius à S. Joanne Baptista, & ipse apprime qua Theologicis quæ mitioribus Scientiis instructissimus, idiomatum insuper variorum Itali, Galli, Hispani, Belgici gnarus complura opuscula abs se composita vulgavit. Pluribus in Congregatione nostra defunctus muniis, in iis ejus tum virtus, tum humilitas in pretio, & admiratione fuit. Cathedram annos 24. ornavit, in Triburbe Prage inter celeberrimos numeratus. Genuinum in vita, & morte Patientiæ exemplum qui podogrâ, chyragrâ calculi doloribus affectus nunquam vel levissimum doloris sensum ostendit, fati sui præscius, quod triduū ante in certam horam prædixerat, mortali vitæ valedixit M DC LXI. 15. Novembr.

**Basilij à SS. Sacrament.** Basilius à SS. Sacramento actiones semper suas accuratissimæ trutinæ appendit, mansuetudine, & suavitate Imperium in omnium animos nactus, eos virtuti vel fidei si ab utralibet descivissent, restituit. Suecô Bohemiâ pulsô qui vel hæresis Virus Regno

gno intulit , vel fovit ab Eminentissimo Cardinale Harrachio Pragensi Archi-Episc. convertendo rurali populo deputatus , in Sudore vultus verbum salutis sparsit , messem amplam , plurimas animas , Ecclesiæ horreis addidit. In itinere Italico Generalis V. Socius Neapoli diem extremum clausit. M DCLXII.

Gregorius à S. Agneta Glaciō Ducatū Silesiæ oriundus , utriusque Juris cùm adhuc sèculo militaret Doctor celeberrimus , atque ideo ob Doctrinæ , & excellentis ingenii prærogativam in celeberrima Pragena Universitate Professor Regius , cathedris , & Doctoratū insignibus valere jussis , humile institutum nostrum amplectitur Fervore , pietate , humilitate veteranis par. Morti , quam velut trienniō ante præsensit , triennali secessu , & negato sibi in publicum exitu , se accinxit , extremum æger fatiscientibus Viribus historiam passi Salvatoris sibi prælegi rogavit , atque ita mixtis compatienti suspirio lacrymis beatam , ut pia spes est , auspicatus est æternitatem MDC LDVIII. die 17. Junii.

Hieronymus à S. Catharina Græcensis , Virtutem quam Tyro in Religione didicit è suggestu in alios transfudit , effectu semper secundo. Regularis observantiae cultor semper indefessus , nunquam concitari visus , ac ubi in ea torpuentes vidiit. Silentiī rigorem velut linguā captus , semper servavit , cellam simul in deliciis , & receptaculum suspriorum habuit. Extremum æger ut Christi sacrum corpus genibus nixus sumeret , infimis precibus impetravit. Hoc pane satur terrena cuncta fastidiens , inque DEUM velut absorptus veniam erratorum ( quorum nulla erat memoria ) à fratribus rogat , verbis sequentibus adjectis : *Habete , quæso , patientiam , quia hodie hora secunda post meridiem moriar.* Dixit , & eō punctō temporis , quo æs campanum secundam nuntiavit ; secundum finem mortali vitæ imposuit M DC LXXXIII. 16 Septembr.

Adalbertus à S. Laurentio Pragæ natus excellens Orator , & Philosopus nostris adscribitur. Prima illi cura perfectum in se Religiosum exprimere , usus in hunc finem geminis mediis oratione continua , quam meditationem dicimus , & mortificazione , quâ hominem inferiorem edomuit. Grande à DEO talentum natus , id totum Sacratoribus Scientiis impendit , quas ipsas subinde Religiosis tradidit , atque cum iisdem pietatem cuius ipse vivum exemplar fuit. Sinceritas , & candor ex ejus oculis prominuere ; ægris & miseris suavissima , quibus abundabat , verba impendit. Lectoris , Novitiorum Magistri , Prioris , Definitoris munis ad amissim satisfecit , Romam dein Consiliarius ( Definitores Generales dicimus ) V. Generalis vocatus humilitate obedientiæ cedente , pedes commeavit , atque ibidem fatiscente corpore Spiritum Creatori transcripsit M DC LXXXII. IX. Maji. Prodigio simile est tabellam chartaceam abs eo scriptam combustō ad oras lignō , & conflagrante toto cœnobio intactam mansisse.

R

Ab-

Gregorius  
à S. Agnet.

Hierony-  
mus à S.  
Catharin.

Adalbert.  
à S. Laur.

Abraham  
à S. Clara.

Abrahamus à S. Clara Suevus olim Germaniæ Prior Provincialis, iteratò Definitor Provinciæ, Concionator Cæsareus, cuius industriæ plures Conventus, & præprimis Viennensis accessionem multorum ædificiorum, aliorūmque ab Augustissimis Cæsaribus Leopoldo & Josepho glor. mem: cæteræque Nobilitatis summorum Beneficiorum debet. Præco verbi DEI eximus, quô de Suggestu dicente amplissima semper confluentem populum ægrè capiebant templa, ob facundiam Suam Cæsari, Virisque Principibus apprimè charus. Facetas rebus seriis miscuit, ut sic hamum obtegeret, quo capturus erat malè feriatos, & orexim moveret mundo seria fastidienti. Apiculæ similem diceres, quæ melle grava, aculeum animis peccatorum infixit. Scripsit Libros plures, pluries editos, & nemini ignotos. Meritis, & ætate gravis, morti vicinior factus Sacraenta Ecclesiæ ultroneè petiit, solutūmque cruce titulum J. N. R. J. complexus, in ejus osculo animam efflavit. An. M DCCIX. I. Dec.

Callistus à  
S. Ianoc.

Callistus à S. Innocentio Bojus à Tyrocinio in Palestra virtutum veteranus, Sapientiâ semper, sed illâ modestâ coætaneos præcellere visus est. Disciplinas altiores frequentius docuit cum fructu, & plausu. Frequenter Prioratûs officio, tum altero Provincialatûs munere functus est. Rigoris Religiosi à se. & subditis exactor, Stationarius chori perpetuus. Discretionis Spirituum Magister; Primus è Germanis Supremo Ordinis Regimini admotus Congregationem legibus, Privilegiis à Pontificibus impertratis auxit, ornavit. Bienniô exactô à secundo Provincialatu æger, & laboribus fractus decubuit, cumque in singula momenta extremum spirare videretur, ad adstantes conversus ait: *Nondum tempus adest mortis meæ, Tempus meum veniet in Feflo Conceptionis Immaculatae Virginis, illa die securus discedam ex hac vita ad Matrem meam, quam semper hic sincero corde dilexeram* Vaticinium fuisse eventus probavit, eo siquidem die animam suam, ut pia spes est, per Mariæ manus, in sinum Creatoris depositum. M DCC XIII. 8. Decembr.

Anselmus  
à S. Chri-  
stoporo.

Anselmus à S. Christophoro Austriacus hujus Cœnobii olim supremum caput, universæ etiam Provinciæ Præfctus, quæ munia ingenti cum laude, & sui commendatione sustinuit. Anno ætatis 23. ob præcociis iugenii rara dona Philosophiam, ac Theologiam docuit, Magni Leopoldi Cæsaris actualis Theologus renuntiatus est. Ob Scientiam & Virtutem Doctis, & Bonis omnibus in pretio fuit. Mundo eximitur M DCC XIII.

Atque hi sunt è pluribus aliquot celebriores Viri, quos olim Viennense Cœnobium habuit, quosque, potissimum, defunctos complebitur. Quibus accenseamus nobiles illas charitatis victimas, quæ grassante per has horas pestifera lue infectorum servitio intentos meriti plena mors viventium numero exemptos, beatæ æternitatis Libro adscripsit, pluribus quidem ejusmodi operi

peri intentis superstitibus , atque ad procurandam proximi salutem , DEIque cultum promovendum servatis. Eos qui glorio-  
sô fatô fungi meruerunt apponimus : Quinque sub initium in-  
troductionis nostræ; tum subsequis annis : P. Gratianus à S. Maria,  
P. Joannes à Purificatione B. M. V., P. Guilelmus à S. Bonaventu-  
ra , P. Benedictus Josephus à S. Elisabetha , P. Bruno à S. Philip-  
po , P. Martinus à S. Maximiliano , P. Fulgentius à S. Guilelmo ,  
Fr. Antonius à S. Francisco.

## Lapides Mortuales Ecclesiæ Cæsareæ, & Familiarum Nobb. Conditoria.

**P**Ræter cryptam Augotorum de Domo Austriaca cordium , conditoria suis , suorumque exuviis condendis in hac nostra S. Æde Nobilissimæ Princepum , Comitum , Baronum Familiæ sibi delecta , olim habuere , & inibi sepeliri consueverunt. Eo , ordine quô sita sunt recensebimus : Illustrissimæ Princepum , & Comitum Familiæ à Dietrichstain &c. ad latus majoris aræ dexterum. Illustrissimæ Familiæ Comitum à Tieffenbach , &c. Illustrissimæ Familiæ Serenissimor. Princepum à Schwarzenberg , &c. in medio Sanctuarii Illustrissimæ Familiæ Comitum ab Harrach &c. Ponè eam Illustrissimæ Familiæ à Wallenstein , &c. Illustrissimæ Familiæ Comitum à Mansfeld , &c. Illustrissimæ Princepum , & Comitum Familiæ à Lamberg , &c. Illustrissimæ Familiæ Comitum Strozzi , &c. Illustriss. Familiæ Comitum à Sprinzenstein &c. Illustr. Familiæ Comitum ab Heissenstein , &c. Illustr. Familiæ Baronum à Weber , &c. Illustr. Familiæ Baronum à Remerstall , &c. Illustr. Familiæ Comitum à Grundemann , & Falckenberg , &c. Illustr. Familiæ Comitum Pálffy , &c. Illustr. Familiæ Comitum à Stahrenberg , Illustr. Familiæ Baronum de Thavonath , &c. Illustrissimæ Familiæ Comitum à Salburg , Illustr. Familiæ Comitum à Sclavinoni , &c. Illustr. Familiæ Comitum à Fünfkirchen , &c. quibus adde Prænobilium Familiarum Weidnerianæ , Schlezerianæ , Saaderianæ , Zornianæ cryptas , iis , eorumque descenditibus sepieliendis destinatas uti fusius in Instrumentis , super hac re factis videre est. Nunc lapides eos mortuales qui adhuc dum visuntur inspiciamus , quorum seriem , ordinis causâ in quatuor partes , quatuor lapsis saeculis respondentes , dispecimus.

1. Domina Margareta de Wildeck , Ordinis devota Anno Margar. de Domini M CCC XXXVII. III. idus Decembr. obiit. Marmor. Wieldek.
2. Dominus Joh. de Puechaim , hic sep. An. D. MCCCLII. Puechaim. pridie nonas Maj. Scutum pictum cum Insignibus.

Orwerkch

3. Anno Domini M CCC XLVIII. Obiit Dominus Offo de  
Orwerkch. IV. Idus Octobris h. sepultus. *Marmor.*

\* Fuit hic  
Thom. de  
Argentina  
de quo He-  
rera, Jose-  
phus Pam-  
philus, &  
Sebastian.  
Favensis in  
vita præfi-  
xa ejus  
Comment.  
in Mag.  
Sentent.

*Greg. Ari-  
min.*

Ermreichb.

4. Quisquis ades, qui morte cares, sta, perlege, plora  
Sum quod eris, quod es ipse fui, pro me, precor, ora  
Anno M CCCLXXV. F. Thomas Prior Generalis, ac Pro-  
fessor Sacræ Paginæ, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. \*

5. Additum est Thomæ Arg. corpori Corpus Gregorii Ari-  
minensis, de quibus insculpta marmori sequens inscriptio :

Tumba levata duos Doctores hæc tenet altos

Ille Alemannus erat, Italus ille fuit

En Argentinæ Thomas, Gregorius atque

Arimini, celsi prævalidique Viri

Scriptis præclari, sed & Officio Generali

Ordinis hujus sunt quos tenet hæc hic humus. *Mar.*

6. Anno Domini M CCCC LXII. Jahr ist gestorben der Edel  
Hans Ermreicher / an Sanct Elisabeth Tag / hie begraben / dem  
Gott gnädig sey. *Marmor.*

D. O. M.

Levay.

7. Magnifico Joanni Levay ex antiqua, Clarissimaque Wai-  
dassiorum Familia Patre Gabriele Comite - - ar - Sien ad Budam  
pro Patria, & Principe amissio, ultimaque posteritatis spe in  
hunc redacta immatura morte sublato R. Franciscus Thwrzo, Epi-  
scopus Nitriensis Avunculus moestissimus monumentum hoc po-  
suit. Vixit annos XVIII, Menses II., mortuus Anno Domini  
M D LIII. Septembris XII. *Marmor.*

*Joan. Bapt.  
Weber.*

8. Im Jahr 1584. der Wohlgebohrne Herr Johann Bapt.  
Weber / zu Pisenberg / ic. Sr. Röm. Kaiserl. Majest. gehetmer  
Rath und Vice-Canzler. *Scutum ligneum pictum.*

*Corn. Cels.*

9. Præclaro Viro Cornelio Celso natione Flandro Musico  
præstantissimo qui tribus Imperatoribus invictissimis Carolo quin-  
to, Maximiliano secundo, & Rudolpho secundo, ob Musicæ ar-  
tis perfectissimam cognitionem, & vocem mirificè canoram gra-  
tissimus semper fuit. Polixena Nobilis Neapolitana Vidua dæ-  
licita Conjugi suo charissimo monumentum hoc extrui fecit. O-  
biit Viennæ VIII. die Aprilis M D LXXXVIII. æt. suæ An. LXIX.  
*Marmor.*

*Illustr. Pe-  
trus Lasso.*

10. Don Petrus hic Heros Lasso post fata quiescit  
Quem stirps Castiliæ Regia protulerat,  
Ille tibi teneris servitia, Cæsar, ab annis  
Ad finem vitæ præstítit usque suæ

*Aspi-*

**Aspices hujus quoties in imagine vultus**

Ferdnande illius nominis esto memor.

An. D. M DLVIII. obiit. Vixit annos LVII. cui mœstissima  
Conjux Polixena Ungnadin, ex Libera Baronum Familia memo-  
riæ ergo hoc monumentum PP. Marmor.

11. Hier liegt die Wohlgebohrne Frau Polixena Ungnadin /  
Freyherrin zu Sonneckh / des Herrn Herrn Don Petrus Lasso von  
Castella, Röm. Kaiserl. Majest. geliebten Gemahels / gewesenen.  
Obristen Hofmeisters nachgelassene Wittib / und höchstgedacht Ih-  
rer Majestät geliebten Kays Kindern Obriste Hofmeisterin / die ges-  
storben ist den anderten Tag Decembris des 1564. Jahrs / derer  
Seelen sambt allen andern Gott gnädig und Barmherzigkeit seyn  
wolle Amen. Polixena  
deLasso ha-  
ta Ungnadi.

12.

**D. O. M.**

Carolo Baroni à Tanberg, &c.

Summæ expectationis Puer

Et

Loysia Sorori ejus dilectissimæ

In ipso ferè mortalis hujus vitæ ingressu ad immortalitatem Carolus &  
vocatis David Baro à Tanberg in Aurolzminster, ac Offenberg &c. Loysia Bar.  
Rudolpho II. Imperato. à Cubiculis, ac Ernesti Archi-Ducis Su- à Tanberg.  
premus Cubicularius, & Helena Catharina Baronissa à Wolken-  
stain, &c. PP. MM. Dulcissimis Libb. H. M. F. CG.

Vixit ille annos IV. m. II. Obiit II. Maii. Hæc ann. II. Menses  
ferè totidem, obiit X. Junij M D LXXXII. Candidus lapis.

13. Den 27. Tag des Monath Junij 1590. Jahrs ist in Gott  
seelig verschieden der Wohlgebohrne Herz Herr Leonhardt von Har-  
rach / der älter Freyherr zu Norrau / und Prickenstein / Ritter des  
goldenen Wtesses / Obrister Erb-Stallmeister in Österreich / dreyer  
Röm. Kaiser geheimer Rath / und Weyl. Kays. Maximilian des  
anderten / gewester Obrist-Hofmeister / und Obrist Cammerer.

Leon. ab  
Harrach.  
Scutum pictum.

Des Wohlgebohrnen Herrn Herrn Kruffith / Freyherrn auf Joan. L. B.  
Marenfels / auch auf Sanct Georgen / Pöking / Lickowa / Chy- Kruffith,  
pra und Szytna Pfands. Herrn. Röm. Kays. Majest. Rath /  
und des Königreichs Hungern Obristen Hofmeisters / welcher den  
9. Tag Monath Julij des M DLXXX. Jahrs zu Wienn / seeligst  
chen Todts abgelebet Begräbnuß; dessen Seel Gott befohlen sey.

Marmor.

Der Edel-Gestrengte Herr Johann Bapt. Weber von Piffens- Joan. B. à  
berg / N. De. Rath / 1591. Weber.  
Scutum pictum.

Monumentum Generosi, & Magnifici Domini Joannis Pe- Joan. Peth.  
theo Lib. Baronis in Gerse, Ser. Principis D.D. Rudolphi Rom. L. Baro in  
S Imp. Gerse.

Imp. Consiliarii , & Cubiculariorum Regni Hungariæ Magistri ,  
nec non partium Regni Hung. cis Danub. Supremi Capitanei con-  
stituti. 22. Jan. 1578. In Superiori parte : - - In bello contra -  
Fridericum Ducem Saxonæ inter cæteros Capitaneos Regni Hun-  
gariæ primus adfuit , Capi. Caffovi. Sopr. Com. atque Zoi-  
lienn. per Successionem Summa cum laude gessit , novissimè Ge-  
neralis , & Supremus partium Regni Hungariæ cis Danubianarum  
Cap. constitutus non tam ætate , quæ mole negotiorum obrutus  
diem suum obiit , die XXII. Jan. An. M D LXXVIII. ætat. LIII.

*Marmor.*

**Adolphus Comes à Schwarzenberg,**  
**17. Hic jacet , & stare jubet , qui stando cecidit**  
**à casu fortior , vivus castra , mortuus astra penetravit**  
**Rudolphi Cæsaris Supremus Belli Dux**  
**Consultore DEO Sagi , & Togæ consilia secutus**  
**Cùm vitam sciret esse militiam ,**  
**Inter arma vixit**  
**In Germania , & Belgio Bellò clarus**  
**Jaurini demùm à Turcis vindex**  
**Cæsari quæ Cæsaris , DEO quæ DEI sunt**  
**Utrique fidem , utrique anmimam**  
**Inter arma servavit , inter arma reddidit**  
**Cùm ad Pappense Præsidium**  
**Pro DEO ac Cæsare strenuè occubuit**  
**Annô M DC. Julii die XXIX. Marm.**

**Otto Web. 18. 1606. Starb der Edel-Gestrenge Herr Otto Weber / von**  
**Pissenberg / &c. Scutum pictum.**

**Maximil. & Dietrich. 19. Maximilianus à Dietrichstain Baro in Hollenburg , Fin-  
kenstain , & Talberg Hæredit. Carinthiæ Pincerna , Dominus in  
Nicolspurg Commandator Ordinis Calatravæ , Rudolphi II. Cæ-  
saris Cubicularius &c.**

**Duabus Uxoribus , & Filio**  
**Tum sibi suisque vivus posuit M DCII.**

*In basi quæ urnam funebrem sustentat.*

**Maximiliano**

**Adami à Dietrichstain Heroum Antesignani ,**  
**Et Margaritæ de Cordona Regii Sanguinis Heroïnæ**  
**Filio**

**Franciscus Cardinalis Episcopus Olomuc. Princeps**  
**Fratri unico P.**

**Vixit annos XLII. obiit Anno M DC XI. Marmor elegantiss.**  
**Ad**

*Ad latus ejusdem Cænotaphii dextrum :*

Jacobinæ ex Comitibus de Bossu duobus annis vix nuptæ. Adami Filii defuncti, & Mariæ Filiæ superstitis Matri, quæ morbillis oppressa decepsit Cremsitri. Vixit annos XXV. Mens. I. dies XVIII. obiit M DCI. Mens. Decembris die IV. hora II. ante meridiem. *Marmor.*

Jacobina  
Com. de  
Bossu.

*Ad latus sinistrum :*

Helenæ Krusith de Lupoglava, Dominæ in S. Jeörgen, Lycova, & Schabrac, quæ cum quinque annis nupta fuisse, primo partu decepsit in Pösing vixit annos - - Menses VII. dies V. obiit MD LXXXVI. Mens. Sept. XIV. hora VI. post merid. *Marmor.*

Helen. Krusith de Lupoglava.

Sunt & bina ibidem appensa scuta auro, & serico texta: unum Dietrichstainianum Gentilitium, alterum Ordinis Calatravæ exhibit, per omnia correspondent superiori, in marmore, inscriptioni, præterquam, quod dies obitus, qui ibi deficit hic apponatur videlicet XXIX. Martii.

20. Hier liegt begraben die Hoch und Wohlgebohrne Frau Catharina Frau von Collovrath / gebohrne Freyin zu Räin / und Beyersperg so in ihrem Lebenszeiten der Röm. Kaiserl. auch zu Hungarn / und Böhemb Königl. Obrist Hofmeisterin gewest ist. Deren und anderen Christgläubigen Seelen der Allmächtige Gott wolle gnädig und harmherzig seyn. So verschieden den 23. Junii 1618.

*Marmor.*

21. Pirrus Maria Gonzaga ex Marchionibus Mantuae S. R. I. Princeps, Dominus Vescovatæ, à Secretis Cæst. Consiliis, ejusdemque in Italia Commissarius, nec non Redemptoris Ordinis Eques &c. graviori morbo correptus hic corpus suum condi, cor verò in Patriam penes Lauretanæ Virginis Sacellum deferri jussit, ut, ubi Thesaurus suus, ibi & cor suum esset. Obiit XIV. Cal. Decembris Anno reparatæ Sal. M DC XXVIII. Viri Amplissimi jaeturam, dolore ac lacrymis testata Francisca Gonzaga Uxor moestissima monumentum hoc ponit mandavit prid. Calend. Julii. Anno M DC XXIX. *Marmor.*

22. *Ex ære : Siste Viator iter !*

Magna si quæris hoc parvo invenies ære  
Compendio te expediam, & maxima, si tria verba, dixeris:

Petrus Comes Strozzius,  
Indignare, si non ignarus es Hospes,  
Tantillum dari tanto Nomini hospitium;  
Sed plura addam, ut pernoscas jacturam orbis  
Dum hic jacet,

Heros, Heroum genus, ac Hæres  
Utroque Parente Italus, Patria Germanus.

Petrus Comes Strozzius.

Antiquis moribus , Latii præsa fide  
 Germaniæ germanum germen ,  
 Non bonus sed optimus  
 Quippe virtutum Oceanus , sîne vitiorum influxu  
 Veræ Magnanimitatis archetypus , Amicitiæ Regula,  
 Hinc omnium vel timor , vel amor  
 Cum Scipione nunquam minùs otiosus , quâm cùm  
     otiosus  
 Musæum ambulans , Historiarum viva Bibliotheca  
 Cum Sæculo Tulliano os Latii disertissimum  
     Orator etiam Imperatoris LEOPOLDI  
     Ad Reges Principesque felicissimus ,  
 Majòrum Disciplina , Militiæ decus , & exemplar  
     Non tam Præfectus militum , quâm Pater ;  
     Inter Tyrocinia veteranus ,  
     In Gallos primum detonans fulmen  
     Ad Alexandriam Alexander  
     Ibi inter mortuos , mors hostium , jacuit  
     Sed alibi hostes cæsurus Marti revixit ,  
 Eorum testimonio nemo ferrum fortius tractare creditus ;  
     Testes etiam Gothus , Cymber , pontes Pomerani  
     Strozzi non nisi Victorem pugnâsse .  
 Cum primis Ottomannidarum flagrum , ac terror  
     Sed spe nostra , ut solet , brevius .  
 Lunæ interventu solem hunc obscurari sibi orbis Chri-  
     stianus vidit , illacrymavit .  
 Ad Muram , & Seriniam , ut Græcus ad Matinæam  
     Jam triumphatis Turcis occumbens  
     ( Nam uni pereundem erat , ut servaret plures )  
 Dicere tamen cum Thebano potuit Epaminondas hic  
     Austriacus :  
     Satîs vixi ; invictus enim morior ,  
 Et cùm stirps desit , hic de senatam reliquit Pugnam Mu-  
     rensem , ut ille Leutricam .  
 Quam superstitem ipsi fama immortalem conservabit .  
     Pro Patria moriens se Patrio solo reddidit  
     Ut anima in cœlum rediret  
 Post peregrinationem in terris 37. annorum .  
     Ossibus pacem Viator precare , & abi !

MDCLXV.

Ann.

23. An. 1628. den 16. May starb der Hochgebohrne Herr / Herr  
Graf von Harrach zu Norau / Obrister Erb-Land-Stallmeister in  
Oesterreich / Röm. Kaiserl. Majest. geheimer Rath / Ritter des  
goldenem Wliesses / &c.

comes ab  
Harrach.

24. A. D. O. M.

Maximilianus S. R. I. Comes de Wallenstein,

Ferdinandi III. Rom. Imperatoris, Hungariæ, Bohemiæ Regis  
Supremus Stabuli Praefectus, Camerarius, Consiliarius & Supre-  
mus Colonellus Civitatis Pragensis, Dominus in Schwigan, Scal.  
Müngengraz, Closter Swieretiz, Studenka, Dobrawiz, Laut-  
schin, & nova Wallenstein

Maximil.  
comes à  
Wallen-  
stein.

Mortalitatis memor,

Hunc locum sibi suisque

Quô animabus in æternitatem avolantibus corpora hu-  
mentur delegit, & ære suo comparavit. 1643.

*Marmor.*

25.

D. O. M.

Joanni Wilhelmo S. C. M. Camerario,

Et Statuum Inferioris Austriae Deputato,

Maximilianæ natæ Comitissæ ab Harrach,

Carolo Francisco S. C. M. Camerario, & Locumtenenti  
Colonello,

Friderico Sigismundo S. C. M. Camerario, Locumtenen-  
ti, Cainpi Marescallo, & Peditum Colonello in expugna-  
tione Belgradi hostiliglobo percusso, gloriose defuncto.

Patri, Matri, & Fratribus

Debiti Honoris, & Gratitudinis ergò posuit.

Maximilianus Ernestus Dominus, & Comes de Scherffenberg,  
Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Praepositus. M DC XCII.

*Marmor, & &c.*

26.

Sta Viator!

Tumulum Joannis Conradi Wechtler à Römersheimb, Fer-  
dinandi III., Ferdinandi IV., Leopoldi I. Medici Cubicularii An-  
no M DC LXIV., XXI. Junii ætatis LXVI. extinti considera.

Conradī  
Wechtler,  
à Römers-  
heimb.

Hic Vir quiescit Sapiens, qui in vita egit sibi Philosophum,  
aliis Medicum; Morte, Juris naturæ peritum, post mortem agit  
Theologum,

Benè semper de omnibus locutus, hoc meruit;

Ut nemo de eo malè loqueretur.

Hanc ab eo disce Sapientiam,

Dic ei requiescat, feliciter abi, securè veni.

*Marmor.*

Jo. Georg.  
ab Heissen  
stain.

27. Im Jahr 1616. den 8. Sept. in Gott seelig verschieden der Wohlgebohrne Herr / Herr Hans Georg von Heissenstain / Freyherz auf Starnberg / Heissenstain / und Gaußenhaus / des Churfürstenthum Mainz Erb-Marschall / Röm. Räys. Majest. geheimer Rath / Cammerer / und N. De. Cammer, Präsident, auch Ihrer Fürstl. Durchl. Max. zu Oesterreich Rath / und Cammerer / Obrist Stalleister / Trabanten, und Archibussier - Reuter-Hauptmann.

Eckenber.  
à Dalberg.

28. D. Eckenberti Fratris sui Germani, & unici S. C. M. Camerarii, nec non Consiliarii Imperialis Aulici 27. Junii 1650, nati, & Viennæ 20. Febr. 1695. denati

Fridericus Antonius Camerarius de Wormatia, Liber Baro à Dalberg, Dominus in Hernsheim, Ruppersberg, & Binzburg, Ecclesiarum Metropolitanæ Moguntinensis, ac Equestris ad S. Ferrutium in Bleidenst. Canonicus Capitularis, Eminentissimi Principis Electoris Moguntiæ Consiliarius intimus, ejusdemque Consilii Aulici Præses fieri fecit, Anno 1695.

Stans hodie legis ista, jaces cras fortè, jacenti  
Quod tibi cras peteres, dic mihi stans hodie.

Marmor.

Eleonora  
de Cur-  
lichz.

29. Quisquis ad stas ortum hominis sive meditaris, sive mortem, siste gradum!

Eleonoram Barbaram de Curlichz natam à Ponzon deplora.

Florem dixisses, tum venustate, tum avitum Sanguine verè nobilem si vidisses, at, quia non amplius vides, hominem dices qui quasi flos egressus, & contritus, fugit velut umbra; Mulierem tamen crede fortem, fortem quia laudabiliter DEO, suis benè, sibi optimè, fortem quia fortiter omnibus vixit semper. Ortus diem Vienna & occasus unà exhibuit vigesima Februarii, An. M DC XXXVII. istius An. M DC LXXIV. sic natalis, & fatalis; ut discas, Vivere esse mori, & mori esse vivere. Vixit virgo annos quindecim, deinde Prænibili Viro Laurentio de Churlichz, S. C. M. Consiliario, & Heroaldo Tiberiæ Augustæ sub Comitiis Imperialibus interveniente Ferdinandi IV. gloriósæ in Augustissimum Romanorum Regem coronatione, in thorum speciosa elocata matrona, cum eodem annos viginti duos Cordialissimè vixit, ita, ut viduato compari utroque ex sexu tria charissima pignora in solatium reliquerit; postquam totidem præmisisset cœlo, ipsa tandem diuturnis, gravibusque ex morbis, doloribus, Angelicō priùs refecta cibō septima secuta raræ virtutis pietatisque exemplar se ipsam omnibus pro testato relinquens Eheu! roseus ille flos ardore mortis decoloratus quomodo cedit?

dit ? Tu dic benevolus , & precare : Transplantatus super rivos  
aquarum refloreat in perpetuas æternitates. Hoc conjugalis  
amoris , ac mœroris argumentum

DoLens MarItVs Vlennæ ponI CVraVIt,

Cujus anima æternūm DEO vivat. Amen. Marmor.

30.

Siste Viator , & lege

Joannes Adolphus S. R. I. Princeps à Schwarzenberg ,  
Divo Cæsari Leopoldo à Cubicolo , & arcane Confilio , Supremi  
Imperialis in Aula Dicasterii Præses , Eques Aurei Velleris ,

Ser. Pria-  
cip. Joan.  
Adolphi à  
Schwar-  
zenberg.

Certus mori , incertus quando

Fidens DEO , diffidens mundo , præsentia spernens ,  
futura sperans

Huic tumulo , exilique urnæ

Magnorum Nominum tenues reliquias

Leve fœnum , folium , nihil

Olim tamen resumendum depositum intulit

Anno M DCLXXXIII. die XXVI. Maji.

Quæ legisti huic incisa marmori ,

Qui hic situs est scripsit

Metire ex paucis lineis magnum animum

Mirare in magna fortuna mortis memoriam

Disce eruditionem ex Principe , Virtutem ab Aulico

Benè precare tantæ Virtuti ,

Abi , & plaudc ! Marmor.

31.

Hoc sub strato marmore conditur

Illustrissimus Dominus , Dominus

Joannes Baptista Weber de Krumpach ,

Illustr. R.  
Joan. Bapt.  
Weber.

Baro in Pisenberg , Dominus in Craustowiz , Peternell , Wîrniz , & Geberstorff , qui sub Augusto Gloriosissimorum Austria- corum Cæsarum Imperio , bis Consilii Imperialis , totiesque Cameræ Aulicæ ac in Inf. Austria Regiminis Consiliarius & usque ad Supremam vitæ metam Vice-Gubernator Inferioris Austriae , itemque Sereniss. Maximiliani , & Leopoldi Sen. Archi-Ducum Austriae Consiliarius nomen , ac stemma suum laudatissime terminans piè in Domino obdormivit , Anno salutis M DC XXXXIII . die XXIII. April. Hora II. antemeridiana ætatis anno LVIII.

Conquiescit hic pariter charissima ejusdem Conjunx Illustrissima Domina Margarita nata Comes de Concin , quæ diem clausit XXVI. Decembris , An. M DCL . ætatis annos habens LXIV. dies XVIII. ambo constante triginta septem annorum conjugio sex Filios , septemque filias orbi genuere , de quibus XII. à DEO sub-

latis unica in vivis supereft Illustrifima D.D. Ursula Comes de A-  
bensperg , & Traun , Baronissa in Pifenberg , Domina in Peter-  
nell , & Wirlitz , quæ filiali obsequio Paternæque dispositionis  
testamentariæ debito satisfactura , posteris verò à terræ instabili-  
tate ad firmam cœli æternitatem divertendi ansam positura , mar-  
moreum iſthoc monumentum adfixit.

Ferd. Com.  
Sprinzen-  
stain.

32. Illustrissimo , & Excellentissimo Domino Domino Fer-  
dinando Maximiliano S. R. I. Comiti de & in Sprinzenſtaiп , Neu-  
haus , Domino Dominiorum , ac Civitatum Drosendorf , Horn ,  
Waidhoven , Waltreichs , Teyn , Weickerthſchlag , Niderod-  
liz , Rosenburg , Mold , Rhan , Thumbriz , & Pirrha , S. C. M.  
Leopoldi I. & Magni ab Intimis Consiliis , Camerario , Austræ In-  
terioris Mareschallo , & Generali Colonello . Inf. & Super. Au-  
striæ Archimonetario Hæreditario , & Comiti Palat. &c. Die 17.  
Junii ætat. suæ ann. LIII.

Plè DefVnCto patri sVo Mœrentes rILLæ ereXerVnt.

Marmor , & æs.

Ill. Com.  
Hieron.  
Scalvinoni

33. Condidit hunc ſibi tumulum  
Illustrissimus Dominus Hieronymus S. R. I. Baro de Scal-  
vinoni , unà cum Conjuge Sua Maria Catharina  
totaque Familia ſua ,  
Ut ad Lauretanæ Virginis  
Divæque Annæ pedes  
Naturæ debitum deponat  
Quarum etiam potenti gaudeat Patrociniō  
Venturūmque propitium judicem hoc ſub marmore  
prætolatur.  
Anno 1699.

Mar.

Ann. Com.  
Daun.

34. Homo !  
Vide , lege , intellige  
Anna Catharina ex Illustrissima Comitum de Sporck ,  
Nata Domo Anno 1669. ut cœlo naſceretur .  
Excellentissimo D. D. Richardo S. R. I. Comiti de Daun , S. C. M.  
Camerario , Consiliario Aulico Bellico grali in Domino nupta  
1697.  
Ter Felix Mater Joannis Francisci , Benedicti Bernardi , & An-  
næ Mariæ.  
Ut eſſet cum Christo placida morte diſſolvi meruit ,  
Anno 1712. 16. Nov.

35. Sub-

35.

Subsistite Viator !  
&

Morte DoCente taCe  
 Mariam Elisabetham Ernestinam  
 Primariam Reginæ Wilhelminæ Camerariam  
 Maximiliani S. R. I. Comitis de Thun ,  
 Ex Maria Francisca S. R. I. Comit. de Lodron Filiam  
 Nec Paterni Monocerotes ,  
 Nec Materni Leones .  
 Eripere poterant à porta mortis .

Maria Eli-  
sab. Com.  
de Thun.

36.

## D. O. M.

Lectissimæ Conjugi Suæ Rebecæ Rosimundæ ex Comitibus  
 Ranzovii natæ post annos pene L. felici connubio exactos piè de-  
 natæ Viennæ Austræ M DCC. Maritus superstes spe secundarum  
 nuptiarum cum ipsa extincta , ut viduus maneret individuus pro-  
 thalamo hic tumulum utrique individuum P.C.

Comit.  
Grundem.

Adamus Antonius Grundemann de Falckenberg , Dominus  
 in Waldenfels &c. S.C. M. à Consiliis Supr. Austræ Dicaster. Pro-  
 Marescallus Provinciæ infra Anasum.

Sed hem !

Mutato ordine mors Matri hic ante Patrem conjunxit Filium  
 Ernestum Constantimum Exc. Austr. Regiminis Consiliarium , Pro-  
 vinciæ Deputatum , Feudorum Bambergensium Præpositum , qui  
 muneribus suis per annos plures tam probè functus est , ut piè  
 defungi meruerit ætatis XLIX. rep. salut. M DCC II. Relicta Ma-  
 ria Eleonora Comite de Schallenberg , Conjuge Sua Vidua cum  
 Liberiis IV.

Ita Principi quidem , Patriæ , & sibi satìs  
 Suis autem parùm nimis vixit  
 Hoc est quod te Lector volui , reliquum lustralis concha  
 monet ,  
 Preces mortuo affundere  
 Vices expectare. Marmor.

## 37. Contemplare , &amp; fave spectator !

Post exantlata laboru in discrimina fixit hic locum quietis

Bonavent.  
deGisgon.

Bonaventura de Gisgone S. R. I. Eques , Comes Palat.  
 Consiliarius Cæsar. J. U. Doctor , & Supremi Consilii  
 Imperialis Juratus Agens , & Senior.

Is à Gisgone hujusque Filio Asdrubale Carthaginem Du-  
 cibus suam traxit originem , Magnorum Progenitorum non im-

par germen, omnes non tam vultu, quam animo expressit, ut  
Virtutum ex asse nosses hæredem, in pluribus munis suis, ac Le-  
gationibus extitit ingenio, & decore Spectabilis, quem Italia co-  
luit natum Arimini, Tenet Austria Defunctum Viennæ. Octua-  
genario majorem, cœlibem intactum, famâ, & virtutibus nobis-  
tem. Qui memor erat manium, illiustu quoque memento, dum  
ejus cineres respicis dico: Vivat DEO, qui nulli alteri, dum  
viveret, vixit. Obiit III. Kal. Jan. M DCC XX. Hæredem hanc  
Defunctorum Sodalitatem piè instituens, quæ in perennem gra-  
titudinis titulum lapidem hunc erexit.

*Marmor.*

L.L. B.B. à 38. *Hic Sarcophagus, quem aspicis, Viator!*  
*Thavonat.* Patrem simul tegit, & natos

Illustrissimos D. D. Barones de Thavonat, qui Leopoldo Guilel-  
mo AA. Ab intimis Consiliis, Excelsi Infer. Austriæ Regiminis  
Cancellarius, tres Filios hæredes reliquit:

1. Ludovicum Albertum Caroli VI. Imp. Consiliarium Intim.  
& Cammergravium.

2. Ignatium Ferdinandum Aulicæ Camer. Consiliarium in æra-  
rio Deput.

3. Leopoldum Jacobum unius Cæsareæ Legionis Tribunum.

Hi tres avitas ceras meritis illustrarunt, & titulis, quorum  
secundo-genitus Ignatius Ferdinandus invalido militi suppetias  
ferens, Domum pauperum ex asse hæredem testamentō sanxit,  
magnisque coloniis auxit; Sibimet parcus ut pauperes ditaret.  
Obiit An. 1726. 7. Julii. Tu Viator mammonā sic utere in terris,  
ut Thesaurizes in cœlis. Vale, & piis manibus benè precare.



## *Indiculus; Principum, Comitum, Baro- num, Nobilium in Basilica Cæsarea sepulchorum, Genealogistarum gratiâ compilatus.*

*Althann*, S. R. I. Comites. Maria Juliana ab Althann, nata Co-  
mes de Rottmanstorff, Anno 1691. Anna Maria ab Althann,  
quondam nupta Illustrissimo Comiti à Daun, 1712. Et plures  
alii utriusque sexus, quorum nomina cum libris interciderunt.

*Attimis*, Maximilianus Hermannus S. R. I. Comes.

*Auersperg*, Maria Eleonora, 1696. Franciscus Antonius,  
1688. Susanna Theresia nata à Martiniz, nupta Comiti Czernin,  
1717. Maria Aloysia à Czernin, 1716.

*Albrecht*, Josephus ab Cameræ Procurator, 1686. Joannes  
Ferdinandus Consil. Camer. & Referend. 1690. Franciscus Theo-  
philus

philus Conf. Cam. & Referend. 1704. Josephus Mathias Inf. Austr. Regiminis Consiliar. Eques Ord. S. Jacobi. 1794.

Aychbühl, ab Carolus Consil. Cam. 1658. Maria Anna 1684.  
Bayerhuber, ab Hueb Christophorus. 1691.

Brandis, Comit. ab: Eva Maria 1678. Maria Theresia nupta Com. Rappach, Suprema Aulæ Imperatricis Præfектa 1687. Jacobus Andreas Cæsar, Camer. & Consil.

Breuner, Comes à: Maria Anna è Gynceæo, Imperatricis Eleonoræ Viduæ. 1675.

Buquoï, Maria Regina Eva, 1669.

Cavella, Dionysia Antonii de Boxador de Cavella, Aurei Velleris Eq. Conjux, 1724.

Concin, Comes Joannes Volckardus AA. Elisabethæ Aulæ Præfector, 1712.

Comazii, Comes Joan. Baptista S. C. M. Historicus. 1711.

Carlshoven, à Carolus Gotthardus L. B. 1698.

Coronini, à Cronberg Comes Ludovicus Baro in Graveniza, Goritiæ Præfector, 1700.

Conturbo, Comes Helena Christina, 1694.

Collalto, à Comes Maria Theresia nata Comes de Portia. 1673.

Copau, à L. B. Christophorus Fridericus, 1673.

Curland, à Comes Nicolaus, 1667. Curland, à Nicolaus Dominus in Engestain & Thalheimb.

Daun, à Comites Herula Anna Barbara 1683. Maria Francisca Comiti à Stahrenberg desponsa, 1701. Guilelmus Joannes Antonius gen. Campi Marescallus, & Pragæ Commend. 1706. Maria Josepha Wirtbi, Philippi Fil. 1710. Anna Maria Magd. nata Com. ab Althann. 1712. Anna Cathar. nata Com. à Sporck, 1712. Marii Josepha Herula, 1715. Joannes Nepom. Ferdinandi Filius. 1725. Richardus Præsidiar. Mil. Supr. Vig. Præfector, 1729.

Dietrichstain, Princ. & Comit. Maximilianus 1611. Maria Elisabetha nata L.B. ab Hoffmann. 1705. Philippus Sigismundus S.C.M. Supremus Stabuli Præfector, 1716. Antonius S. C. M. Cam. 1721. Leopoldus Philippus Levinus Cæs. Ephæbus.

Eggenberg, S. R. I. Princ. Maria Ernestina nata Princeps à Schwarzenberg, 1716.

Fels, S. R. I. Com. Cornelius Colonna Baro, 1651. Jacobus 1655. Marianna Herula, 1569. Franciscus Leopoldus Colonna 1681. Maria Elisabeth, nata Comes à Scherffenberg, 1709. Franciscus Colona Comes à Fels, 1711.

Fünfkirchen, Comes S. R. I. Catharina Theresia nata Comes Slavata, 1673. Joannes Bernardus Consil. intim. 1700. Josephus ejus Fil. 1701. Anna Maria 1704. Joannes Ernestus Nicolaus.

- Joannis Josephi proles 1704. Joannes Josephus Baro Cæs. Camer. 1708. Maria Carolina nupta Comiti à Salaburg, 1711. Maria Esther, nata Com. à Paar, 1725. Sophia Elisabetha, 1684. Theresia Elisabetha nata à Gilleis, 1686. Joannes Ernestus Prætorianorum militum Præfектus, 1687. Joannes Carolus Baro, 1694.
- Gabrian*, Com. Fridericus 1685. Maria Anna nata Com. à Payersperg, 1722.
- Gallasch*, Com. Franciscus Carolus 1720.
- Gilleis*, Com. Theresia Elisabetha nupta Com. Fünfkirchen, 1686. Maria Anna Isabella nupta Com. Heissenstain.
- Gisgone*, à Carthagine S. R. I. Eques Bonaventura. 1720.
- Glanz*, L. B. Maria Josepha Regina 1698. Anna Catharina, 1701.
- Göz*, S. R. I. Com. Joannes Albertus Petrus Cæsar. Eph. 1649.
- Joannes Franciscus, 1693. Maria Isabella nata Com. Czernin, 1702. Maria Elisabetha desponsa Com. ab Hochenfeld. 1709.
- Gonzaga*, S. R. I. Princeps Franciscus Præfектus Jaurini 1661.
- Pirrus Maria ex Comitibus Mantuæ, 1628.
- Golz*, à L. B. Joachimus Ferdinandus Consil. Cam. Boh. 1674.
- Grundemann*, Comit. Joannes Adamus Junior, 1689. Leopoldus Josephus Ernestus jun. 1689. Rebeca Rosimunda è Com. Ranzovii, nata 1700. Ernestus Constantinus Regim. Consil. 1702.
- Josephus Antonius Jun. 1702. Antonius à Falckenberg, Cæsar. Consil. Intim. 1711. Joannes Adamus Com. 1719.
- Gudenus*, à Christophorus Mogunt. Consil. & Residens 1705.
- Leopoldus Josephus jun. 1718. Clara nata Baro à Thavonat, 1722. Maria Agnes, 1724. Philippus Franciscus, 1725. Carolus Josephus, 1726.
- Haiffenstein*, S. R. I. Comit. Joannes Georgius Consil. Cæs. & Prætorianorum milit. Præfектus 1616. Antonius 1655. Barbara nata Comes à Kollowrath, 1671. Julius 1672. Antonius Franciscus 1684. Helena Isabella 1687. Joannes Christophorus Ferdinandus 1691. Josephus Ignatius 1693. Otto Felicianus, 1693. Maria Elisabetha Herula, 1696. Sabina Herula, 1698. Maria Francisca nata Comes à Wrtby, 1700. Maria Catharina nupta Comit. à Roggendorff, 1697. Maria Anna Isabella nata B. à Gilleis, 1724. Carolus Christophorus, 1726. & complures proles minorennes.
- Haizenberg*, L. B. Joannes Ernestus Austriæ Pro-Marescallus 1713. Josephus Ernestus, 1720. Maria Francisca Joann. Ernesti Conj. 1724.
- Harrach*, S. R. I. Comit. Maximiliana nupta Com. à Scherffenberg, 1661. Franciscus Albertus, 1666.
- Eminentissimus S. R. E. Presbyter Cardinalis Ernestus Adalbertus Arch-Episcopus Fragensis*. 1667. Carolus, in pugna gloriösè cœsus, 1684.

1684. Leonardus Udalricus 1689. Maria Eleonora nupta Com.  
Palfy, 1693.

Maria Margarita nata Comes ab Oettingen, Leonardi Conj,  
1693. Maria Barbara nata Com. à Sternberg, 1694. Maria Con-  
stantia, nata Com. ab Herberstain, 1694. Ferdinandus Bonaven-  
tura, S. C. M. Consil. Int. & Confer. 1706. Maria Elisabetha de-  
sponsa Com. à Wallenstein, 1710. Joanna Theresia 1716. Er-  
nestus Antonius Wenceslaus S. C. M. Consil. Int. 1718. Maria  
Cæcilia nata Comes à Thonhausen, quacum Illustrissimum ejus  
stemma, utravis linea, extinctum. 1721. Joannes Antonius  
1723. & plures liberi ejus Illustrissimi stemmatis nondum adulti.  
*Heister*, S. R. I. Com. Maria Petronilla juncta connubiô Illu-  
strissimo Comiti de Rabatta, 1682.

*Henckl*, Com. Josepha è Gynecæo regnantis Imperatricis,  
1725.

*Herberstain*, S. R. I. Com. Anna Maria nata Comes à Losen-  
stain, 1663. Maria Constantia nupta Com. ab Harrach, 1669.  
Anna Ludmilla nata à Garmb. 1726. Maria Elisabetha nupta Com.  
à Wagensperg.

*Hochenfeld*, Com. Maria Elisabetha nata à Göz, 1709. Otto  
Ignatius Präsid. Viennens. Supr. Vigil. Präfect. 1726.

*Hofmann*, à Maria, 1664. Maria Maximiliana, 1670. Maria  
Elisab. è Gynecæo Eleonoræ Reg. Polon. Ducis Lotharingie, 1694.  
Maria Elisabetha conj. Philippi Com. à Dietrichstain, 1705. Fran-  
ciscus Antonius, Francisci Weickardi Supr. Ducatus Brigensis  
Capitanei Fil. 1713.

*Hoyos*, S. R. I. Com. Maria Cæcilia olim Comiti à Stahrenberg  
nupta 1699. quibus adde Perill. Hütendorff: & Hartmannianorum  
complurium nomina.

*Kann*, Com. nata Ducissa Fridlandiæ, & Filia Dorothea 1654.  
*Kauniz*, Maria Josepha è Gynecæo Regn Imper. 1724.

*Kielmannsegg*, L. B. Henricus Fridericus Cæsar: Venationum  
Vice-Præfetus, 1708.

*Kinsky*, S. R. I. Com. Anna Catharina nata Com. de Ursen-  
beck, 1708. Item plures ejus Illustrissimi stemmatis minoren.

*Khevenhüller*, S. R. I. Com. Maria Catharina nupta Com. à  
Strozzi, 1714.

*Khuniz*, Com. Franciscus Antonius S. C. M. Ephæb. 1713.

*Klöggler*, L. B. Rugerius Sereniss. Ducis Neoburgici Eph. 1682.

*Kolloniz*, S. R. I. Com. Helena Herula, 1651. Euphrosina  
nata Com. à Stahrenberg, 1683.

*Königseggianæ*, Illustriss. Comitum Familiæ complures proles  
in Wallensteiniana, crypta sepultæ reperiuntur.

*Königsacker*, L. B. Aegydius, 1715. cum quatuordecim pro-  
libus, quæ diverso tempore obiérunt.

*Kueffstain*, S. R. I. Com. Jacobus Präsidiar. Viennens. militum  
Supr. Locumtenes 1653. Maria Com. à Kueffstain. 1668.

*Kurz*, Com. Josephus, 1652. Maria Eleonora nupta Com. à Sprinzenstain, 1687.

*Lambecius*, Petrus S. C. M. Consil. Bibliothecarius, & Historiographus, 1680.

*Lamberg*, S. R. I. Princip. & Comit. Sigismundus Ord. Melitensis Egræ defunctus cor suum hic tumulari voluit. 1672. Maximilianus S. C. M. Supremus Aulæ Præfetus, 1682. Francisca Eleonora Vidua, 1689. Judith Rebeca, 1690. Catharina Eleonora nata Com. à Sprinzenstain, Leopoldi Com. à Lamb. ad S. Sedem Oratoris conj. 1704. Leopoldus Josephus paulò ante dictus 1706. Seren. Princeps Leopoldus Mathias S. C. M. Supremus stabuli Præfetus, 1711. Aloysia Elisabetha nata Comes Truchsäfs, 1717. Quibus accensendi sunt complures ejus stemmatis liberi maturò satè extinti.

*Liechtenstain*, S. R. I. Princip. Carolus Josephus 1699. Francisca Antonius, 1695. Innocentius, 1707. Filii Floriani Antonii Supremi Præfetti August. Caroli, tum Archi-Ducis. Sidonia Agnes nupta Com. Pálffy. 1721.

*Loney*, Com. Maria Francisca nupta com. à Stahrenb. 1724.

*Loisenstain*, Com. S. R. I. eorum plures immatè mortui in Mansfeldiano Conditorio sepulti inveniuntur.

*Löwenthurn*, à Sophia Leopoldina, 1673. Joannes Leopoldus Consil. arcani Secretar. 1673. Fridericus Leopoldus Consil. Cæs. & Regim. Inf. Austriæ. & liberi.

*Maladey*, Com. Joannes Sigefridus Regiæ Maj. Josephi I. Ephœbus, 1699.

*Martiniz*, S. R. I. Com. Maria Felicitas nata Com. à Spaur, 1686. Susanna Theresia nupta Com. Czernin, tum Com. ab Auer-sperg, 1716.

*Montrachier*, L. B. Henricus Ducis Lotharingiæ Camerarius, 1648.

*Mundeschier*, Com. Leopoldus Sereniss. Caroli AA. nunc Imp. Ephœbus, 1703.

*Neubaus*, L. B. Maria Magdalena Herula, 1651.

*Neudegg*, Com. Polixena nata Comes à Portia, 1673.

*Nollarn*, à Nollenstain Balthasar S. C. M. Consil. J. U. D. 1679.

*Noßiz*, Ferdinandus Ernestus S. R. I. Lib. Bar. Commendans Canisæ, 1691.

*Obbizzzi*, Marchio Maria Clara Apollonia nata Comes à Stahrenberg, 1700.

*Otting*, S. R. I. Com. Maria Margaretha nupta Com. ab Harrach, 1693. Maria Ernestina Imp. Regnantis Supr. Aulæ Præfecta, 1714.

*Ottl*, de S. R. I. Eq. Joseph Antonius Cæs. Maj. Cons. Aulico-Bellicus, & Referend. 1723. complures minorennes ejus stemmatis.

*Paar*, S. R. I. Comit. Maria, 1663. Rosina condicta Hispana, 1672.

1672. Franciscus condictus Hispanus , 1672. Maria Esther , nupta Bar. à Fünfkürchen , 1725.

*Palfy* , S. R. I. Com. Anna Theresia nata Com. Neidaſt. 1683. Maria Eleonora nupta Com. à Wallenſtain , 1699. Leopoldus S. C. M. Camerarius , 1720. Sidonia Agnes nata Princeps à Liechtenſtain. 1721.

*Peyersperg* , Maria Anna nupta Com. à Cavrian , 1722.

*Portia* , Maria Polixena nata Comes à Neudegg , 1673. Maria Theresia nupta Com. de Collalto , 1673.

*Polhaimb* , à Maria Eleonora è Gynecæo , Seren. AA. Mariæ Annæ , 1689. Maria Elisabetha , 1690.

*Rabatta* , S. R. I. Com. Maria Petronilla , nata Com. ab Heister , 1682. Rudolphus S. C. M. Bellicus Generalis Commiffarius , 1688.

*Ranzau* , Com. Rebeca Rosimunda nupta Bar. à Grundemann , & Falckenberg. 1700.

*Rappach* , S. R. I. Com. Maria Theresia nata Comes à Brandis , 1687.

*Reinburg* , à Wenceslaus Supr. Monetarius Regni Bohem. 1681.

*Roggendorff* , Com. Christina Herula Filia Christiani Com. 1697. Catharina nata Com. ab Heffenſtain. 1697.

*Rothmansdorff* , Com. Maria Juliana nupta Com. ab Altheimb , 1691.

*Sallaburg* , S. R. I. Com. Maria Clara nata Com. à Wochenare 1690. Joannes Gottfridus S. C. M. Camerarius , & Supr. Burggravius , 1702. Maria Carolina nata Bar. à Fünfkirchen , 1711.

*Scalvinoni* , L. B. Maria Catharina , 1702. Hieronymus , 1705. Francitus Christophorus , 1728. & liberi.

*Schallenberg* , S. R. I. Comit. Christophorus Richardus , 1667. Charlotta Ursula Dorothea nata Com. à Styrbmb , 1699. Christophorus Ditmarus Sup. Vig. Praefect. & Consil. Aul. Bellic. 1708.

*Scherffenberg* L. B. Joannes Wilhelmus , 1646. Maximiliana nata Comes ab Harrach , 1652. Carolus , 1667. Fridericus Sigismundus Campi Marescall. Locumt. in oppugnatione Belgradi , 1688. Ferdinandus S. C. M. Camer. 1708.

*Schwarzenberg* , S. R. I. Princ. ac Comit. Adolphus Com. à Schwarzenberg , Rudolfi Imper. Supr. Belli Dux ad Pappenſe Praefid. occubuit. 1600. Joan. Adolphus S. R. I. Princ. 1683. Maria Anna nata Landgravia Sulzensis , 1698. Ferdinandus, Imp. tum regnantis Supr. Aulæ Praefectus , 1703. Maria Ernestina nupta Principi ab Eggenberg , 1719. & complures de Serenissima hac Proſapia juniores.

*Slavata* , S. R. I. Com. Catharina nupta Bar. à Fünfkirchen , 1673. Maria Theresia nupta Com. à Windischgraz , 1699.

*Stahrenberg* , S. R. I. Comit. Reichardus Cæſar. Legion Praefect. 1656. Joannes Ludovicus , 1666. Maria Cæcilia nata Comes

ab Hoyos , 1699. Helena Dorothea Rudigeri , Com. à Stharenberg conj. 1688. Maria Clara Apollonia nupta March. de gli Obbizioni , 1700. Maria Francisca Barbara nata Com. à Daun , 1701. Maria Francisca Maximiliani conjux nata Comes de Lanoy , 1724. & complures minorennes.

*Seffy*, S. R. I. Com. Herula Elisabetha è Gynecæo Aug. Imp. Amaliæ Viduæ , 1720.

*Sprinzenstain*, S. R. I. Com. Ferdinandus Maximilianus , 1679. Maria Eleonora nata Com. à Kurz , 1687. Catharina Eleonora nupta Com. à Lamberg , 1704.

*Sternberg*, S. R. I. Com. Maria Barbara nupta Com. ab Harrach , 1694.

*Styrum*, S. R. I. Com. Charlotta Ursula nupta Com. à Schallenberg , 1699.

*Spauer*, S. R. I. Com. Maria Felicitas nupta Com. à Martiniz , 1686.

*Sperck*, S. R. I. Com. Anna Catharina nupta Com. à Daun , 1712.

*Strozzi*, S. R. I. Com. Petrus Comes Strozzi. Maria Catharina nata Com. Kevenhüller , 1714.

*Steibern*, L. B. Joannes Ferdinandus Elector. Colon. & Bavariæ Consil. Intim. 1653. Maria Francisca ejus Coniux , 1714.

*Schwihovsky*, Lib. Bar. de Schwichovo. Jarolaus Florianus Reg. Bohem. Locumt. 1716. Et Joanna nupta Com. à Thierheimb , 1718.

*Tavonat*, à Jacobus , 1655. Ludovicus Albertus C. M. Consiliar. Intim. & Camergravius in Inf Hungaria , 1719. Maria Clara nupta Gudenus , 1719. Leopoldus , 1694. Ferdinandus Ignatius S. C. M. Camer. & Minister. Deputationis Consil. 1726.

*Therzio*, Com. Isabella Maria nupta Com. à Göz , 1702.

*Thierheimb*, S. R. I. Com. Susanna Francisca nata Com. à Brandis , 1677. Franciscus Leopoldus Sac. Cæf. Maj. Consiliarius Intimus , 1700. Joanna nata Baro à Schwihovsky , 1718. Franciscus Sebastianus Sac. Cæf. Maj. Supremus Bellicus Commisarius , 1726.

*Thonhauseu*, S. R. I. Com. Maria Cæcilia nupta Com. ab Harrach , 1721.

*Thun*, S. R. I. Com. Maria Elisabetha è Gynceæo Imp. 1699.

*Traun & Abensperg*, S. R. I. Com. Catharina Ursula nata Bar. à Weber , 1667.

*Trauntsch*, Lib. Bar. Rosina Maria nupta Com. à Wagensperg , 1702.

*Tschernin*, S. R. I. Com. Franciscus Ignatius , 1698. Thomas Zacharias Regni Bohemiæ Vice-Cancellarius , 1700. Sed subseq. ann. Pragam devectus est. Susanna Theresia nata Com. à Martiniz , subinde Com. ab Auersperg , nupta 1717. & juniores aliquot.

*Trucksäß*, S. R. I. Com. Maria Aloysia Elisabetha , nupta Com. à Lamberg , 1717.

*Tüffen-*

*Tüffenbach*, S.R.I. Com. Rudolphus S.C.M. unius Leg. Praefectus, 1654. Elisabetha nata Com. à Sternberg, 1668.

*Tilly*, S.R.I. Com. Maria nata Comes à Lamberg, 1663.

*Volckra*, S.R.I. Com. Ernestus Josephi I. Rom. Imp. Ephæbus 1700. Maria Benigna nupta Com. Roborrelli, 1703. Georgius Antonius, 1711.

*Ursenbeck*, S.R.I. Com. Anna Franciska nupta Comes à Kinsky, 1708.

*Wagensperg*, S.R.I. Com. Maria Elisabetha nupta Com. ab Herberstein, 1674. Maria Isabella, 1681. Adolphus, 1687. Regina Josepha nata Baro de Trautsch, 1702.

*Walderode*, S.R.I. Com. Joannis Georgii Filiæ, Maria Josepha 1699, Maria Anna, 1703. Maria Antonia, 1723.

*Waldstain & Wallenstein*, S.R.I. Comit. Catharina Elisabetha, nata Comes à Werdenberg, 1667. Sylvia è Gynecæo Imp. 1677. Franciscus Augustinus S.C.M. Consiliarius Intimus, 1684. Maximilianus Adamus, 1706. Carolus Ernestus S.C.M. Consiliarius Intimus, 1713. Maria Eleonora nata Com. à Pálffy, 1699. Carolus Ferdinandus S.C.M. Consiliarius Intimus, 1702. Anna Maria nata Com. à Stahrenberg, 1682. Maria Elisabetha nata Com. ab Harrach, 1710. & reliquæ proles Illustrissimæ Familiæ.

*Weissenwolff*, S.R.I. Com. Helmhardus Christophorus, 1702. Sed eodem anno Lincium ad Familiæ sepulturam devehitur.

*Werdenburg*, à Stephanus Andreas S.C.M. Consiliarius Aulicus, & Referendarius, 1694. Anna Renata nupta Bar. à Pöchmann, & liberi ejus Familiæ.

*Wildsbeck*, S.R.I. Com. Henrici Wilhelmi S.C.M. Camerar. Campi Marescall. Locumt. Filius Josephus Maria Melchior, 1711. & Maria Josepha Filia, 1716.

*Windischgrätz*, S.R.I. Com. Maria Theresia nata Com. Slavata, 1699.

*Wratislaw à Mitrowiz*, S.R.I. Com. Christophori Francisci geminæ proles bimulæ, 1679. & 1689.

*Würmb*, S.R.I. Com. Maria Francisca nupta Com. ab Heissenstein, 1700.

*Zeill*, S.R.I. Com. Sebastianus Consilii Imper. Aulici Præsidens, 1700. Eodem anno Memmingam ad suorum conditorum devehitur.

*Zinzendorff*, S.R.I. Comit. Joachimus, 1665. Maria Barbara nata Com. à Khevenhüller, 1696.

Atque has quidem ex superstribus Libris, vel potius Librorum fragmentis recensitos publico communicavimus, longè plures futuri erant, si de prioribus tribus sæculis quædam scripta superessent, quæ tamen plus perdita querâre, quam invenienda spes. Sive reapse perierint, sive alicubi, quacunque demum causa delitescant, ingens historiæ damnum, & præcipue illius, quam

Genealogicam dicimus , eò , quòd hæc Sacra ædes à sui initio commune quoddam Nobilissiarum Familiarum conditorum fuerit , quod mortuales lapides , sed hi attriti , & scuta gentilitia colore , lignoque abeñis abundè testantur . Feramus comune mortalitatis fatum : Perire !

Quod seriem Familiarum attinet , Nullius præjudicio eas collocavimus , potissimum elementari Ordini institimus , si super hæc nævus supereſſet , Veniam Benignum Lectorem rogamus .

Supereſt adhuc ; ut , cùm in Libri contextu frequentior fuerit eorum hominum memoria , quorum acta naturæ limites egrefſa videri poſſunt ; Lectorem monitum velimus : Nos ſolum ea humanâ fide credenda retuliffe , nec majorem , quām qui historicis folet , affenſum exigere , quod conformiter Summorum Pontificum Decretis , ejusmodi jussis , ut par eſt , obſequentes apponimus .



## Eſdr. 4. 8. ACTUS PRÆSENTIS SÆCULI. \*

*Sen*

Apparatus festi Sæcularis quod in Baſilica Cæſarea Augustinianorum Discalceatorum ad diem XVI. Maji , & ſubsequis octo diebus agitur.



Liquantulūm te moramur Benevole Lector ! gratitudo , & lætitia non contenta angustis animi limitibus foras erumpere geſtiit , & palpabili , quod ajunt , argumen- tō ostendere , quæ corde , ſinuque fovet . Sæcularem ſolennitatem nos agere in comperto eſt , & duplē illam qui- dem ; unam ob Ecclesiam Cæſaream M CCC XXX. per Frideri- cum III. Cæſarem cognomentō Pulchrum ex Voto quod D. P. Auguſtino nuncupārat condi cæptam , per Fratres dein' ſuos , quòd morte præveniretur , Ottonem , & Albertum Duces Au- ſtriæ Alberti I. Imp. Filios , Rudolphi I. Habsburgici Nepotes per- fectam ; alteram ; ob eam nobis Discalceatis à Ferdinando II. glor. mem. Imperatore M DC XXX. die XVI. Maji conſignatam . Quæ hoc fine apparavimus ordine oſtendemus , atque ied̄ in limine paulisper ſubſiſtamus ejus portæ , quô ad ipsum Cæſareum Cœ- nobium patescit aditus . Vides inibi ſtructuram marmoreis co- lumnis nixam , vides ſupereminere Providentiae Divinæ Oculum , cernis Triadem Augustam Caroli VI. Aug. Imp. Leopoldi I. & Jo- ſephī I. effigiebus expressam , aquilam intuper pansiſ alis portæ im-

imminentem , geminas dein figuras muliebri habitu , scutô instructas , prior caput parmâ oblegit , altera ad pedes depangit , porrectâ in Cæsarem nostrum dexterâ . Fama , & Tempus Caput Augusti supervolant , illa C. initialem Carolini Nominis litteram , Temporis simulacrum , alterum item C. manibus præfrentes , & jungentes , circulum conficiunt , æternitatis Symbolum ut Pierio Valeriano placet . Quid his velimus , audi . Providentia inferiora regi non Christianarum tantum , sed cultiorum omnium gentium sensus est , hanc primam respiciat , quisquis homo , ne dicam Christianus , est . Huic Providentiae Optimi Numinis , & nos debemus , & debere nos profitemur introitum nostrum , ingressum , & illud , quod Paulus ait : *Quod sumus.* Illa , illa est quæ Regum , quæ Cæsarum corda movit , ut vellent , quod & amplissimè præstiterunt , benefacere , tueri , fovere . Hac causa desumptam ex Psalte Regio legis Epigraphen :

Sæculum nostrum in illuminatione vultûs Tui .

Psal. 89. 8.

Jam , quod Fama C. Carolini nominis initium manu teneat , nemo nescit quam semper illa huic nomini famula sit . C. illud temporis , centenarii annorum curriculi expleti index , quod priori junctum , circulum efficit , an non illud nobis , quantum humanitas fas est , æternitatem spondet ? quam ipsam in scheda posse deflua Augustissimo Cæsari nostro advovemus carmine , quod olim Claudianus cecinit , annum præsentem , & votum referente :

- - - sic sit sVb Cæsare terra  
perqVe ManVs hVIVs traDlta gentIs eat.

Leopoldum I. , & Josephum I. glor. mem. Cæsares bina latera ostendunt , illum , quod Conventibus , gratiis , Privilegiis auxerit , hunc quod Paternis insistens vestigiis ea rata habuerit , & plura prioribus Beneficentissimus addiderit . De Carolo Aug. ne quære ; extendit cum sole manus , & Gratias diffito etiam orbis dispensat , vicinos non despicit , quare verbis scripturæ spem nostram exponimus :

Protegam dexterâ meâ , Ex 33. v. 22.

Spem nostram cùm diximus , erravimus , injurius est Optimo Principi qui tantum sperat , præsentissima ejus semper Beneficia spei locum non relinquunt . Ostendit id nobis non unō negotiō , non una vice , semper tutor , semper Clementissimus noster , non in suis tantum terris , nostrorūmque jurium assertor , & Conservator . Quantum effecerit , sentit etsi ringatur , invidia .

Jam Aquilam Cæsareæ Domûs alitem ubi potius requiras , ac in limine Cæsareæ Domûs ? Jure talem nostram dicimus , non protectione tantum , quâ gloriamur , sed & viciniâ , velut cate-

nâ Augustæ ædi junctam. Excubitrice hac nil adversi metuimus, inania sunt molimina cùm Aquila portæ Custos , & tutrix est. Et verò nonne vides Matronam scutum Austriadum insignibus notatum, in sublime tollentem , cui seqq. inscripta sunt :

*Præsidium , & dulce decus meum.* Hor.

Prote&tricem hanc manum Cæsaris exertâ dexterâ implorat Religio nostra, Matronæ specie , ab eaque sibi , tuitionem , Stabilitatem perpetuitatémque spondet verbis à Martiale mutuatis

L.8.Epigr. • *Satis est hanc mibi nosse manum.*

Sed ne te fugiant Spectator , quæ procul oculis scuto inscripta sunt , cape : in illo Leopoldi :

Nec tanto Genitore minor

In illo Josephi : Nec Fratre corusco. Claud.

Quibus verbis & Magnitudinem , & rerum gestarum gloriam M. Parentis , simul & fortunam Victoriosi Fratris in unum confluxisse CAROLUM insinuat. In medio legere est :

Imp. Cæs.

CAROLO VI.

Pio, Fel. Vict. PP.

&

Aug. Domui Austriacæ

Æternæ gratitud. ergo

Con. Aug. Excalc.

L. MM. P.

Largire DEVS ut quem Pium , Felicem , Vi&torem dicimus hærede etiam masculo Reparatorem orbis salutemus. O ! quod terrena moderaris Numen ! aspira votis ! nos ejusmodi desideriō entheati , quod angustæ tabellæ non capiebant , chartæ mandamus :

Nascere Magne Puer

Cui Pater æternas post sæcula tradat habenas

Quique regas orbem cum Seniore senex.

Claud. de Fil. Dom.

Nunc ad priorem Basilicæ portam declinemus. Et , en grandem strukturam lapideis columnis insistentem. Pendulos , & implexos flores ne mirare Majus est cùm omnia florent , & nobis nova temporis ætas incipit. Adde morem veterum quibus in publica lætitia solennis florum usus. Tholo imminent nubibus sublimis D.P. Augustinus jure illuc collocatus , quod Ecclesiæ à quatuor Sæculis Patronus & Tutelaris sit , quodque eam sibi Frieri-

derici III. Imp. cognomentō Pulchri ex voto vendicet. Hinc idem ipse Fridericus, qui strūturam cœpit, sed fatō præventus non perfecit, geminos inter Fratres Ottонem & Albertum medius cernitur, geniō ad ejus pedes ichnographicam S. Ædes designationem ostentante. Tribus tabellis sequentia inscripta sunt, quæ annum, quō singula quæque ab Serenissimis his Fundatoribus gesta sunt, exhibent:

In Tabella media sub Friderico III. Aug.

Ædificari cœpit  
Domus Domino \*  
a

\* 3. Reg.  
C. 6. v. I.

FriderICO tertio Cæsare  
s. p. a VgVſtIno  
EX Voto DICata. \*

\* Annus  
M CCC  
XXX. quo  
condi cœ-  
pta est.

Ad dextram sub Ottone Duce Austriae:

Otto II.  
fratrIs aVſpIClō.  
CœptVM opVs proſeCVtVs eſt. \*

\* Idem an-  
nus quo fa-  
bricam abs  
Fratre cœ-  
ptam con-  
tinavit.

Ad lævam sub Alberto item Duce:

ALbertVs II.  
DVX parIter & FVnDator  
soLennlbVs rItlbVs  
ConſeCrarl IVſſIt. \*

\* Factum  
id M CCC  
XLIX, ut  
Bulla Con-  
ſerat.

Senæ illæ, quæ basi iſſiſtunt Matronæ totidem Virtutes no-  
tant: 1. Religionem, & 2. Fidem ab Augustino verbo, & scriptis  
gloriosissimè defensas. 3. Sapientiam cui velut ſoli nihil fuit im-  
pervium, 4. Vigilantiam quâ pro Ecclesia, pro Religiosis quos  
iſtituit, pro grege ſubditò excubias egit. 5. Victoriam de hæreſe  
poſt proculcatos innumerous heterodoxos, Manetem præprimis,  
Donatum, & Pelagium; ac tandem 6. Ejus ingentem Benefi-  
centiam quam velut ubere copiæ cornu vivens in egenos, inter  
cælites receptus in ſui cultores effundit.

Altera, quâ ad Lauretanam ædem eſt aditus, porta, quod  
ſtruūtam attinet, priori conſimilis eſt, ſi Cæſarum, ſi Virtu-  
tum ſimulacra excipias, quodque vertici ejus fabricæ Lauretanæ  
Virginis imago immineat. Quid illi inquies cum ſæculari Festo? \* Anonym.  
Multū enim verò; ſæculorum illa Panegyris, & temporum Felicitas\* apud Cel-  
vel ſi cum Dion. Areopag. ſentias: Felicitatis inſigne eſt \* Dion. in  
jure hoc inſigni, præ illo Romanorum ancili, gloriāmūr? in Ep. ad  
Paulum a-  
pud Nax-  
era S. J. in  
Judith fol.

Cæsarem quem aspicis Imperatorio habitu Ferdinandus II. est, acerrimus Religionis vindex. Hic Discalceatæ Augustinianorum Religioni unō ab hinc Sæculō hanc Basilicam credidit, atque coloniis Pragâ ductis Conventum perpetuò stabilivit. Idem te subjecta Tabella docet :

Introduxit

Deut. 26.  
v. 9.

Ad locum istum \*  
ferDnanDVs seCVnDVs  
AVgVftVs.

Dextrâ Magni Progenitoris Magnam Sobolem Ferdinandum III, intuere, aræ majoris Clementissimum conditorem :

ferDInanDVs tertIVs  
AVgVftVs  
prInCIpls aræ fVnDator. \*

\* Structa  
est M DC  
XXXV.

Sinistrâ Eleonoram Mant. Ferdinandi II. secundam Conjugem, quæ Sacellum Lauretanum apparavit :

eLeonora MantVana  
LaVretI fVnDatriX. \*

\* Structum  
est M DC  
XXVII.

Matronæ illæ, & Heroinæ in basi collocatæ bis tres sunt. Illa quæ solem capite, coronam stellis textam manu tenet, pedibus lunam proculat, vel se ipsâ *Mariæ Gloriam* significat, quæ solis claritatem excedit, vicissitudines, & quod est humanæ mutabilitatis, plantis proterit. Illa quæ Mariæ nomen, amictum quidem amicis radiis, sed fulmine quoque in Dæmonem jacto metuendum, præfert, quid sibi vult aliud, quam *triumphos*, & *victorias* referre, quas adversùs Tartareum Draconem homines ejus Nominis auspiciò reportârunt? Heroinæ illius ne mirare pectus Ioricâ, caput galeâ tectum. DEIparam Ferdinandus II. August. Archistrategam Exercituum suorum fecit, veterum sic Imperatorum in Virginem pietatem, & fiduciam renovavit, qui DEI Genitricis imaginem Belli Sociam ascrivere \* cui victorias ut Collegæ Imperii invictæ acceptas ferebant \* quique illam Imperii robur \* & Firmisimū trophæum habuere. \*

\* Nicetas Chron. in Alexio Duca. nitricis imaginem Belli Sociam ascrivere \* cui victorias ut Collegæ Imperii invictæ acceptas ferebant \* quique illam Imperii robur \* & Firmisimū trophæum habuere. \*

\* Idem de Joan. Com. neno. tura, vindicem eduxit gaudium, quo Lauretana Mater Lauros, commilitioni suo, demessuit. Olivam quod quarta præferat,

\* Greg. Ni. com. S. 3. signum est Mariam Reconciliatricem Orbis \* esse. Quinta, quæ de S. Deip. ignem in Altari Mariæ nomine signato fovet, ejus cultores illius ju-

\* Id. Ser. 6. bet esse memoræ, quod de ea Richardus à S. Laurentio scripsit \*

\* Richard. à S. Laur. Maria dicitur Altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores,

\* Id. L. 2. cùm super hoc Altare offerunt dona, & sacrificia sua. Et demum sex-de Laud. za quæ Lilium manu ostendit Puritatem Virginis nunquam lœsam de-Virg. p. 5. mon-

Interiorem Iustraturi, à Principe ara sumamus initium : Ea ad architectonices regulas, columnis, porticibus, quæ artifex pennicillus efformavit elegantissima, superiore parte Providentiam Numinis oculō adumbratam exhibit, quæ radiis sparsis totum fastigium illustrat. Inde Famam videre est sonorum æs animantem dextraque Austriacorum Cæsarum insigne præseferentem, ut publico vel hinc testimonio sciat mundus ; post Optimum in Cœlis DEUM, Austriadum Augustissimam esse Domum, quæ minimam Religionem nostram à teneris fovit, educavit, Cœnobiis, Gratiis, Privilegiis amplissimè auxit, id quod gratissima testificatione palam eloquimur. Medium Altaris imago implet, quæ Divum Patrem Augustinum triumphantem in cœlo ostendit, manibus versùs astra porrectis seu pro suis ad Numen intercessurus, seu eisdem benedicturus, seu Sæculari huic, & illi geminæ, solennitati applausurus. Ponè eam D. M. Monicam, Nicolaum Tolentinatem, atque alios aliquot Augustiniani instituti videre est, plurium capax non erat locus, omnium, nec ipsa, quantumcunque magna Basilica.

Lateribus, ac columnis præter peristomata sericea Tabellas, & grandia scuta picturis, florib[us]que ornata, numero XVII. appendi fecimus, emblematis potissimum instructa, quæ, quoniam nîl abstrusum, aut obscurum in se continent, elucidatione non indigere judicavimus.

Quod aram attinet D. Joannis Nepomuceni M. singulari ornatu conspicuam; non una causa est ejus diei Festa recordatio, sed quod ista ipsa dies sit, quâ ante centum annos ab Augustissimo Ferdinando introducti sumus. Adde verosimile esse, cæptæ hujus Ecclesiæ, & nati hujus gloriosi Martyris eundem esse annum.  
\* Mentem nostram sequentibus explicuimus :

\* Sequimur eos  
Historicos  
qui natum  
dicunt Anno  
no 1330.  
vel 31. vel  
32.

Sacrationi Jano  
D. Joann. Nep. M,  
Cui, uti & huic Bafilicæ  
Idem fuit natalis annus,  
Qui eo die  
Quô olim exemptus est Sæculo \*  
Nobis aperuit Sæculum.

\* Fuit dies  
16. Maii.

Satis est Lector , satis est Spectator si probus , si amicus es ,  
si inimicus , plura , vidisti , plura cœpisti , vel cœpisse tibi visus  
es , quam velles , quam nos vellemus . Cuique suum sit judi-  
cium , nobis hæc unica , quod ex animi sententia dicimus , fuit  
intentio :

Gratitudinem in DEum T. O. M.  
Inque  
Augustissimam Austriacam Domum  
In hac sæculari , & bis sæculari  
solemnitate  
Publico aliquo monumento  
testandi.

F I N I S.



